



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro secundo Decretalium : In Quo Ordo Judiciarius, Et Qvæ Ad Judicia Pertinent, Secundùm Utrumque Jus, Canonicum, & Civile Methodicè Tractantur, & Exponuntur ; Additus Est, Præter Synopticum Et Methodicum, Alius Index Alphabeticus A Pluribus Desideratus

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1675

Titulus. XXVII. De Sententia, & re judicata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98191)

aliquid per privilegium, quam per prescriptionem. Vel prescriptio non erat completa, & tunc putat *Abb. c. l. impediri, & interrumpi cursum prescriptio- nis inchoate; quia impetrans privilegium prescribitur esse in mala fide, quamvis de novo possit inchoari prescriptio. Verum probabilis est, quod, etiam si prescriptio non sit completa, possit privilegium, quamvis in alia, & aliquo modo contraria forma impetrari, ad maiorem cautelam, ita, ut sub conditione inservire possit, si videlicet prescriptio de jure non subsistat, neque impediat, aut interrumpatur prescriptio, eod quod impetrans privilegium videatur dubitasse de jure suo; quia tale dubium malam fidem non inducit, si post inchoatam cum bona fide prescriptionem, superveniat, & veritas deprehendi non possit; ut dictum supra num. 58. & notat. Alex. de Nevo in cit. c. Veniens; num. 37. h. t.*

§. III.

Quibusnam remedium restitutionis in integrum competat adversus prescriptionem?

CXXXVIII. Conceditur hoc remedium primò Minoribus XXV. annis adversus prescriptionem, etiam longissimi temporis XXX. vel plurimum annorum, completam, & finitam, idque intra quadriennium continuum, post impletum XXV. atatis annum, usque ad expletum annum XXIX. computandum à die prescriptiois completæ, & à Minoribus cognita. *l. unic. C. Si adversus usucap. l. ult. C. de temp. in integr. restit. l. ult. C. in quib. caus. restit. in integr. restit. non est. datur autem ob solam læsionem in ætate minore factam, tamen si nulla eorum ignorantia, vel aliud impedimentum interveniret. Molin. rr. 2. de justit. dif. 80. num. 1. Laym. lib. 3. tract. 1. c. 8. n. 20.*

Secundò. Idem beneficium restitutionis simili modo competit Ecclesijs, aliisque pijs locis, post completam prescriptionem XL. vel centum annorum, quod similiter numerari debet à die scientiæ, prescriptionem contra Ecclesiam esse completam; ut colligitur ex c. 1. ibi: *Negligenter omiserit; de in integr. restit. in 6. Covar. in reg. possessor. p. 3. §. 3. num. 4. Mol. c. l. num. 21. ubi addit, quod hæc restitutio datur etiam adversus aliam Ecclesiam, iuxta c. Auditis; §. 5. h. t.*

Tertiò. Etiam Majoribus XXV. annis conceditur restitutio in integrum adversus prescriptionem completam; sed non nisi ex justa causa, ob quam impeditus quis fuit, res, & jura sua, dum contra eum prescriptio currebat, repetere, juxta l. 1. ff. ex quib. caus. Majores; & l. ult. C. de temp. in integrum restituit. Idque procedit, non solum quoad prescriptionem

longi temporis, sed etiam longissimi 30. vel 40. annorum; quia in cit. legibus restitutio majoribus absolute conceditur ex justa, & probabili causa, non quidem secundum rigorem juris communis, sed ex prætoria æquitate. *Palao cit. p. 22. §. 17. num. 3. Datur autem Maioribus quoque quadriennium continuum numerandum à die cessantis impedimenti, ex quo cessavit invincibilis ignorantia prescriptiois; quia ex tunc, & non antea censetur intervenire negligentia petendi restitutionem. Arg. c. 1. & 2. de restit. in integr. & tamen, si impedimentum, & ignorantia cessavit, ante completam prescriptionem, remanente adhuc tempore sufficiente ad interrumpendam prescriptionem per litis contestationem, hoc remedium restitutionis postea non datur ob domini negligentiam, juxta l. Ab hostibus; 10. §. ult. junct. l. seq. ff. ex quib. caus. majores, Covarr. cit. p. 3. §. ult. num. 3. Molin. cit. dif. 80. num. 3. & 4.*

CXXXIX. An autem etiam ex causa justæ, & invincibilis ignorantie detur restitutio in integrum Maioribus, controvertitur. Affirmant communiter DD. apud Covarr. c. l. num. 1. & 2. saltem adversus prescriptionem longi temporis, non autem longissimi, dummodo Maior prober, cum justa, & probabili ignorantia, vel omnino sine sua negligentia, prescriptionem fuisse peractam. *Lesi, c. l. num. 52. Molin. c. l. num. 5. Laym. c. l. num. 22. ubi tamen addit, in hac re cuiusque Tribunalis consuetudinem spectandam esse. Negativam tamen sententiam tenet Fachin. l. 1. controver. c. 69. Palao cit. §. ult. num. 5. quia ex jure non sufficienter colligitur, Maioribus concedi restitutionem contra completam prescriptionem, imò nec Minoribus, & Ecclesijs ex causa ignorantie: tum quia prescriptio æquè præiudicat ignorantibus, & scientibus; ut constat ex c. Vigilanti; §. h. t. & l. ult. C. de prescrip. long. temp. Unde ne prescriptio obsit ignorantibus, longius tempus concessum est absentibus, quam presentibus, ut adversus illos prescribatur: sed plura videri possunt apud AA. cit.*

Ceterum, quamvis concedatur restitutio in integrum, etiam Maioribus, non tamen propterea omnino inutilis erit prescriptio: tum quia non conceditur ultra quadriennium, neque Maioribus, sine legitima causa: tum quia restitutio non impedit, quod minus is, qui prescribit, acquirat dominium rei, quam prescribit, licet revocabiliter; ita, ut interim, dum restitutio non petitur, & conceditur, resque restitutionem repetenti non adiudicatur, ille, qui prescripsit, sit verus dominus rei prescriptæ, & in foro etiam conscientie illam retinere possit; & si intra quadriennium non petatur, postea ab eo repeti amplius non possit. *Molin. cit. dif. 80. num. 6. & 7.*

TITULUS XXVII.

DE SENTENTIA ET RE IUDICATA.

Expeditis ijs, quæ tum ad processum Iudicii, tum ad probationes, & exceptiones spectant, sequitur, ut nunc agatur de ipsa sententia Iudicis, ad quam ferendam, post conclusionem in causa, Iudex procedere debet: & quia sententia lata, si ab ipsa legitime non sit appellatum, transit in rem iudicatam; ideo inscribitur hic Titulus de sententia, & re iudicata, qui extat etiam in Sexto, & Clementinis.

SECTIO I.
DE SENTENTIA.

S. I.

Quid, & quotuplex sit sententia, & quomodo à re iudicata differat?

I.

ASSERTIO I. Sententia in genere definitur potest, quòd sit judicialis decisio rei controversæ per pronunciationem Judicis rite factam liti finem imponens. Dicitur sententia à sentiendo, eò, quòd Judex per eam, quid super re proposita sentiat, declarat. Ea verò duplex est, alia definitiva, alia interlocutoria. Illa est, quæ principalem causam, seu controversiam in judicium deductam definit, eique finem imponit per absolutionem, vel condemnationem; prout definit *Gl. in Clement. unic. V. Definitiva*; de sequest. possess. *Hofsiens. in summa n. 1. h. t. Abb. ad Rubr. huius tit. n. 4. Durand. in specul. lib. 2. part. 3. de sentent. §. 1.* Neque tamen requiritur, ut sententia definitiva contineat absolutionem, vel condemnationem per verba expressa, *Absolvo*, vel *Condemno*, sed sufficit, si contineat virtualiter, & per verba æquipollentia. *Bart. in l. 1. n. 4. ff. de re judic. nam, quando ad formam actus non requiruntur certa verba, sed solum verba in genere, sufficiunt æquipollentia. l. 1. §. Si quis ita; & §. fin. ff. de V. O. Ut, si Judex pronunciet, Titium nihil debere Caio, absolvisse; vel, si iusserit solvere, aut præstare, quod ab eo petitur, condemnasse censetur. Hiltrop. in processu judicior. p. 4. num. 9.* Interlocutoria sententia est, quæ non super principali negotio, sed super aliquo emergente, vel incidente articulo, inter principium, & finem causæ, fertur, v. g. super dilationibus dandis, vel testibus producendis, recipiendis, examinandis, repellendis, & similibus negotiis incidenter in judicio se offerentibus. *Gl. cir. loc. Durand. c. l. §. 2. num. 1. & 3. Hofsiens. in summa. n. 2. h. t. Marant. de ordin. judic. p. 6. in actu 1. de sent. n. 2.* Dicitur autem interlocutoria à modo proferendi; quia summarie inter partes, interim, dum expectatur judicium definitivum, Judex super aliquo incidente, vel emergente actu interlocuitur; vel quia inter partes loquendo, sine solemnitate scripturæ, pronunciat. Unde, quidquid Judex decernit, vel statuit in iudicio, post litem contestatam, ante sententiam definitivam, faciens ad causam controversam, sententia interlocutoria dicitur, *Hiltrop. c. l. n. 12. & 13.*

Porrò sunt & aliæ plures differentiæ inter sententiam interlocutoriam, & definitivam: nam ab hac appellari potest, non item regulariter ab illa, saltem Jure civili, de quo *tit. seq.* Secundò, Sententia definitiva semel à Judice lata ordinariè non potest ab illo revocari; quia postquam sententiam dixit, Judex esse definit. *l. Judex; §. 5. ff. de re judic.* secus est de interlocutoria, quæ revocari potest ante definitivam à Judice, & quoad eum nunquam transit in rem judicatam. *l. Quod iussit; §. 14. ff. eodem. Marant. c. l. n. 7.* Tertio, Sententia definitiva debet scribi, & ex scripto recitari, ut infra dicitur: non item inter-

locutoria. *Marant. c. l. n. 12.* Quarto, in sententia definitiva debet servari ordo judiciarius, non autem in interlocutoria. *Mar. c. l. n. 20.* apud quem plures differentiæ inter utramque sententiam videri possunt.

II. Assertio 2. Est tamen præterea alia quædam sententia interlocutoria, quasi media, seu mixta, quæ scilicet habet vim sententiæ definitivæ, cuiusmodi est sententia, postquam non speratur alia sententia ferenda; quia imponit finem illi instanti, ut sententia absolutoria ab observatione judicij: item sententia, per quam pronunciat, appellationem esse delectam, vel præcipitur, solvendū esse: sententia de imittendo aliquem in possessionem ex secundo decreto, vel per quam alicui multa imponitur; vel per quam finitur officium Judicis, ut, si Judex pronunciet, esse incompetentem: vel per quam definitur unus articulus substantialis causæ principalis: vel per quam admittitur exceptio peremptoria, & aliæ similes, quas refert *Marant. c. l. n. 42. & seqq. Hiltrop. cit. tit. 1. §. De interlocutoria sententia.* Porrò sententia interlocutoria habens vim definitivæ, non solum quoad formam, sed effectum interponendæ appellationis, sed etiam quoad alios juris effectus, æquiparatur veræ definitivæ; paria enim sunt, sententiam esse definitivam, vel habere vim definitivæ: ac proinde, sicut definitiva, revocari non potest, & ab illa etiam appellari potest, ut tradit *Gl. recepta in c. ult. V. Inanes; de elect. in 6. Quil. lib. 1. obs. 30. n. 5.*

III. Assertio 3. Sententia definitiva, quæ proprie, & absolute nomen sententiæ meretur, differt à eo à re iudicata, quod sententia sit ipsa pronunciatio, seu definitio Judicis; adeoque ipsa condemnatio, vel absolutio Rei conventi, per quam finis controversiæ, seu causæ principalis imponitur, vel saltem instanti judicij: Res iudicata verò dicitur, ipsa causa controversa, de qua sententia lata est, & quæ finem controversiæ pronunciat, id est, sententia Judicis accipit, quod contingit absolutione, vel condemnatione; ut dicitur in *l. 1. ff. de re judic.* ac proinde sententia se habet per modum agentis, & causæ; res iudicata verò est ipsum pronunciatum, & se habet per modum facti: illa non tam negotio, quam instanti finem imponit: hæc verò controversiam omnino extinguit, & terminat. *Zaf. in Comment. n. 1. ff. de re judic. & in Comment. Decretal. h. t. n. 1.* Quamquam etiam ipsa sententia definitiva interdum res iudicata appellatur: quo pacto dici solet, sententiam transire, vel transivisse in rem judicatam, tum respectu judicis, qui litem sententiæ dicitur functus suo officio. *c. In literis; §. in fine, de offic. judic. deleg. tum respectu causæ decise per sententiam, saltem à qua post lapsum decendium, appellari non potest: nam sententiam, à qua adhuc appellari potest, non posse dici rem judicatam; adeoque non nisi post decem dies, tradunt communiter Canonistæ apud *Bart. in Rubr. ff. de re judic. quamvis contrarium teneat Abb. ad Rubric. h. t. n. 3. ubi ait, quòd statim, ac promulgata est sententia definitiva, dicatur res iudicata, tum respectu Judicis, tum respectu materiæ in ea contentæ, sive causæ decise, etiam si possit appellari à sententia, eaque retractari; ita tamen, ut ante elapsum decendium, non habeat auctoritatem rei iudicatæ irrevocabiliter, juxta c. Quod ad consultationem; §. 15. h. t.**

Verum etsi hæc videatur ferme esse questio de nomine

nomine; propriè tamen loquendo, sententia à re judicata distinguitur, quòd sententia dicatur lata esse, simul atque Judex eo animo pronunciavit, ut à tota lite, seu controversia partes discedere velit. *l. Qualem; 19. §. Dicere; ff. de recept. arbitr.* Nomine verò rei judicata illa demum sententia intelligitur, quæ nec de facto per appellationem suspensa est, nec per illam, utpote decennio elapso, amplius suspendi potest; ut patet ex *l. Eleganter; 23. §. Si post rem judicatam; ibi: quæ (scilicet sententia) nullo remedio attentari potest. ff. de condict. indebit.* ubi *Gl. V. Attentari;* ait, quod *Arg. huius l.* quidam dixerunt, quòd res judicata non est, nisi demum, quando provocari non potest: cui distinctioni etiam suffragatur diversitas titulorum in *C. de sententiis; & alius de re judicata;* quæ nisi essent diversa, non essent tituli diversi, quamvis unum quandoque pro alio ponatur, sententia pro re judicata, & vice versâ; ut notat etiam *Bart. in Rubr. ff. de re judic. n. 1.*

S. II.

Qualis sententia sit ferenda?

IV. Assertio 1. Sententia à Judice ferri debet secundum Legum, & Canonum præscripta: nam sententia contra leges, aut Canones prolata, est ipso jure irrita, licet ab illa non fuerit appellatum; prout rescripsit S. Gregorius Papa I. in *c. Sententia;* 1. h. t. adeò quidem, ut sententia lata contra legem civilem sit nulla, etiam in foro Canonico; quia Ecclesia approbat leges civiles, seu seculares, quæ non sunt contrariæ SS. Canonibus, non autem statuta particularia Magistratum laicorum. *Abb. hic n. 2.*

Ubi notandum ex eodem Abbate hic n. 6. quòd sententia Judicis duobus modis potest esse contra Jus Civile, vel Canonicum: vel enim est contra Jus, quòd respicit merita causæ tantum, vel contra jus respiciens aliud aliquid extrinsecum, & diversum à meritis causæ. Priore casu iterum distinguendum est: vel enim sententia est lata contra Jus, ita, ut error juris, sive repugnantia cum lege, vel Canone in sententia exprimat; & hoc casu sententia est ipso jure nulla, nec appellare necesse est. *l. 1. §. Item, cum contra; ff. quæ sententiæ sine appell. rescind. l. Si expressum; 19. ff. de appell.* ubi *Gl.* in casu exemplum assert, ut, si Judex pronunciet, Minorem XIV. annis posse testari; non enim valet ipso jure hæc sententia: vel, si controversia sit de validitate certæ electionis, & Judex pronunciet, electionem valere; quia suspensi possunt eligere: talis sententia est ipso jure irrita. *Abb. c. l.* Vel sententia lata contra Jus non continet expressum juris errorem, seu repugnantiam cum jure; hoc casu, valet sententia, & transit in rem judicatam, si intra X. dies ab ea non sit appellatum, etiam si lata sit contra jus litigatoris; adeoque injusta sit; modò contra jus Constitutionis, sive contra legem expressè lata non fuerit, *c. Cum inter; 13. in fine, h. t. l. Cum prolatis; 32. ff. eodem;* v. g. si quis allegato privilegio competente, nihilominus condemnetur, eo tamen non expresso in sententia; tunc pronuncietur contra jus litigatoris, non etiam Constitu-

tionis, sive contra legem; & regulariter tenet sententia, atque appellatio est necessaria. *cit. l. 1. §. Item, cum contra; ff. quæ sententiæ sine appell. rescind.* quia Jus præsumit, Judicem rectè processisse. *Abb. in cit. c. 1. num. 7. h. t.*

V. Excipi debet, nisi injustitia sententiæ sit notoria; tunc enim ipso jure irrita est sententia; prout sumitur ex *c. Inter ceteras; 9. h. t.* ubi statuitur: Si causa alicui Judici delegato commissa sit, appellatione remota, isque sententiam iniquam ferat, ea rescindi debet, neque servanda est, si manifestam contineat iniquitatem; quia nimirum lata est contra jus scriptum, sive continet errorem in ipsa sententia expressum; tunc enim ipso jure nulla est talis sententia. *Gl. hic V. Manifestam;* idque in ipso textu indicatur, dum dicitur, quòd condemnatus tali sententiâ stare non debeat. *Abb. ibid. n. 7.* Ratio huius exceptionis est; quia, quòd sententia Judicis, etsi re ipsa injusta sit, tanquam valida sustineatur, id fit propter præsumptionem, quæ stat pro sententia Judicis, donec probetur, injustè, sive contra jura eum judicasse, quòd demonstrari debet in judicio appellationis. At verò, si notorium sit, sententiam latam esse contra jus, sive contra legem; tunc cessat illa præsumptio: cum enim Judex secundum leges judicare debeat, *c. In istis; 3. dis. 4.* injustè judicando, limites suæ potestatis excedit; ideòque, quòd agit, irritum est, & nullum. *Abb. in cit. c. 1. n. 7. h. t. Alex. de Nevo ibidem num. 21. & 22.*

VI. Illud hic addendum, si Judex duas causas in sententia exprimat, quarum una sola sit contra jus Constitutionis, sive legem, valebit sententia, si ex altera causa, quæ non est notoriè injusta, subsistere possit; quia utile per inutile non debet vitari. *Reg. jur. 37. in 6. Ioan. Andr. in c. Cum inter; 13. n. 11. h. t. & Abb. ibid. num. 10.* Similiter, si sententia contineat plura capitula, & error contra jus Constitutionis, sive legem expressus concernat tantum unum Capitulum; tunc sententia irrita est duntaxat quoad illud; in aliis verò remanet valida: nam, quando sunt plura Capitula separata, virtualiter sunt tot sententiæ, quot Capitula; ideòque potest ex parte valere, & ex parte non valere: secus est, si sententia contineat unicum Capitulum, & error contingat in parte; quia tunc sententia est indivisibilis; ideòque non potest ex parte valere, ex parte non, sed tota est irrita. *Abb. in c. 1. num. 8. h. t.*

VII. Sed deveniendo nunc ad alterum membrum distinctionis suprâ allatæ, sive secundum casum principalem, quando nimirum sententia est lata contra jus concernens aliam injustitiam extrinsecam, & diversam à meritis causæ; tunc sententia est ipso jure irrita, sive error juris sit in ipsa expressus, sive non: nam regulariter, quidquid sit contra jus, est nullum. *l. Non dubium; 5. C. de legibus, & Reg. Quæ contra Jus; 64. in 6.* sic sententia contra leges, vel Canones lata est nulla, licet error juris in ea non sit expressus, vel defectu jurisdictionis, quæ Judex caret, *c. At si Clerici; 4. de Indiciis,* vel defectu Judicis, qui notoriè est excommunicatus; adeòque suspensa est eius jurisdictio. *c. Ad probandum; 24. h. t. vel defectu*

litigatorum, ut, si sententia lata sit contra pupilum, vel minorem stantem in iudicio, sine tutoris, vel curatoris sui auctoritate. *l. Clarum; 4. C. de auctoritat. praestand. vel ratione temporis, si sententia lata sit die festo, c. ult. de feriis: vel ratione loci; quia in Ecclesia à Iudice seculari, c. 2. de immunit. Eccles. in 6. Vel, quia lata est sententia per mulierem, vel impuberem, qui iudicare non possunt. l. Cum Praetor; 12. ff. de iudic. In his, & similibus casibus, sententia est ipso iure nulla, neque opus est illa rescissione, sed solum declaratione nullitatis, v. g. quod Iudex fuerit excommunicatus, nisi id notorium sit: quæ enim notoria sunt, non indigent declaratione. *Abb. cit. c. 1. num. 5. & 6. h. r. Ubi rationem differentiae inter hunc, & priorem casum hanc assignat; quia, quando sententia fertur contra jus respiciens merita causæ, datur Iudici potestas cognoscendi, & arbitrandi, cuius partis iura sint potiora; idèque tunc praesumitur iustum, quod Iudex iudicavit, nisi in sententia exprimat error iuris; quia tunc cessat praesumptio, quæ erat pro Iudice. At verò, quando sententia fertur contra jus respiciens aliud, extra merita causæ; tunc non habet Iudex facultatem arbitrandi, sed tantum iudicandi, secundum juris praescripta, eaque exequendi; idèque sententia lata contra jus non subsistit.**

VII I. Porro, quod supra dictum est, sententiam continentem expressum juris errorem, vel latam contra jus esse irritam, id intelligi debet, si sit contra jus clarum, & indubitatum: non autem, si sit contra jus obscurum, & ambiguum, de quo variae, ac diversae sunt Doctorum opiniones; ut docet *Abb. in cit. c. 1. num. 9. h. r. Felin. ibid. num. 15. sicut enim error juris dubij, seu obscuri non impedit, quò minus cum bona fide induci possit praescriptio: ita etiam talis error potest excusare Iudicem in iudicando. Quamvis etiam, quoad jus dubium, & obscurum, Iudex debeat iudicare secundum sententiam, quæ inspectis allegationibus, & probationibus, probabilior, iurique conformior est, & quæ communiter, saltem in illo loco, ac Tribunali, per consuetudinem est recepta, quæ in dubio est optima legum interpretis, & stylus Curiae jus facit. *Laym. lib. 1. tract. 1. c. 5. num. 16. Similiter sententia lata contra legem, vel Decretalem extravagantem, quæ non est contenta in Corpore Juris, & de qua meritò dubitatur, an sit recepta, non est irrita, sed valet; neque ideo censendus est Iudex contra legem, vel Canonem iudicasse. *Abb. in cit. c. 1. n. 12. h. r.***

IX. Assertio 2. Sententia lata contra leges, vel Canones est invalida, & retractanda, etiam si praetextu consuetudinis sit lata, quæ tamen sit contra Canones; prout sumitur ex *c. Cum causa; 8. h. r.* Nam, cum Archipresbyter cuiusdam plebis, seu Decanus ruralis domum quandam Ecclesiae, abique consensu Capituli, laicis quibusdam vendidisset, hi domum illam sibi adjudicari, & tradi coram Legato Sedis Apostolicae petierunt: coram quo etiam comparuit quidam Canonicus, nomine Capituli, ad eiusdem domus defensionem: qui à sententia Legati, per quam domum illam dictis laicis adjudicavit, appellavit ad S. Pontificem; sed Legatus appellanti certum temporis terminum praefixit, intra quem iter arripere ad Sedem Apostolicam; sed quia

appellans, intra illum terminum, appellationem non est prosecutus; ideo Legatus in causa processit, & secundum Civitatis Veronenfis consuetudinem, domum laicis adjudicavit: à qua sententia iterum Romam est appellatum, sed causa ista appellationis delegata fuit Episcopo Brixinensi, qui Legati sententiam confirmavit, & iterum praetextu eiusdem consuetudinis, contra formam Canonum pro laicis sententiam tulit adversus Capitulum. Retor dem delatà ad Papam Alexandrum III. is considerans, quòd, licet usus, seu consuetudinis non parva sit Auctoritas, non tamen veritati, aut legi praevaleat: ideo latam sententiam retractavit, & Canonicos ab impetitione laicorum absolvens, ipsi, & Ecclesiae eorum domum adjudicavit. Ratio decisionis est; quia consuetudo, quæ Ecclesiam damnosa est, tanquam irrationabilis, & Canonibus contraria reprobatur. *c. 1. de consuet. atqui consuetudo, perquam introductum est, ut alienatio bonorum Ecclesiasticorum valeat, sine solemnitate iure Canonico requisitis, damnosa est Ecclesiae; idèque non tenetur rationabilis, & legitime praescripta. *Gl. in 7. Promulgavit; & 7. Prajudicat; sicut etiam non tenetur consuetudo, nec praescriptio, ut Praelatus alienet bona Ecclesiae, sine consensu Capituli, eò quòd censetur esse damnosa Ecclesiae. *Gl. in Clement. 2. 7. Constitutio; de reb. Eccles. non alienand. *Abb. hic n. 15. & Alexand. de Nevo n. 21. ergo nec sententia, vi, seu praetextu talis consuetudinis, lata tenet, sed retractanda est. Porro, quando hic dicitur, quòd consuetudo non possit praedictare legi, aut veritati; id intelligendum est, si lex resistat consuetudini, seu prohibeat eam introduci, propterea, quòd sit irrationabilis, & in damnum boni publici cedat. *Gl. hic 7. Prajudicat; & patet ex alibi dictis.*****

X. Assertio 3. Esti sententia Iudicis continere debeat absolutionem, vel condemnationem, expressè, vel saltem virtualiter, & equipollenter; alioquin irrita est. *l. Praes; 3. C. de sentent. & interloc. omn. iud. & ibi Gl. 7. Absolutionem: non tamen necessario debet continere causam, quæ Iudicem movit ad absolvendum, vel condemnandum; adeoque sententia valida est, tamen si nulla in eo causa expressè sit, prout habetur in *c. Sicut; 16. h. r.* nam ortà controversià inter H. Subdiaconum, & B. Presbyterum super quinque modijs frumenti, quos Subdiaconus sibi à Presbytero per singulos annos solvendos proponebat, ea causa Iudicibus delegata fuit, coram quibus Subdiaconus modios sibi debitos restitui petebat: Presbyter verò negabat, se debere, eò quòd iam antea super hoc conventus fuerit, & per sententiam absolutus, ad quod probandum duos testes produxit, ex quorum depositione constabat, quòd Magister A. auctoritate Lugdunenensis Episcopi, dictum Presbyterum à petitione Subdiaconi absolverit: sed, quia testimonia nudè prolata erant, non expressè causà, ex qua Iudex motus fuerit ad talem sententiam ferendam, dubitarunt Iudices, quid statuerere deberent, & consuluerunt Papam Innocentium III. qui respondit, quando quidem in plerisque locis, in quibus prudentium copia habetur, id ultimum est, ut, quæ Iudicem ad sententiam ferendam movent, in ea non exprimentur: ideo, cum ex testimonio depositionibus constiterit, sententiam à Iudice*

„ suo prolatam esse, præsumendum est, propter Aucto-
ritatem iudicialiam, quod omnia legitime acta sint.

XI. Notandum primò. Etsi regulariter in sen-
tentia non sit exprimenda causa, in quibusdam tamen
casibus debet Iudex necessariò eam exprimere, quos
recenset *Gl. in cit. c. Sicut; V. Exprimantur; h. t. Du-
rand. in spec. lib. 2. part. 2. tit. de sententia; §. Sententia
qualiter sit ferenda? num. 14.* Veluti primò. Si Iudex
propter ineptam petitionem Actoris in libello factam
Reum absolvit. *c. Examinata; 15. de iudic. Secundo.*
Si in pronunciando recedat à jure communi, & ordi-
natio, victumque in expensas non condemnet, debet
causam exprimere. *Auth. de testib. §. Oportet; Collat. 6.*

Tertiò. Si Reum conventum rei vindicatione ab-
solvat, eò quod tempore sententiæ non possideat.
*c. pen. de except. §. l. Si rem; 17. §. ff. eod. Quar-
to.* Si Reum absolvit, non simpliciter, sed ab instan-
tia iudicij, & per patronos causæ stetit, quò minùs
causa potuerit definiti. *l. Properandum; 13. c. de iudi-
cijs. Quintò.* In sententia excommunicationis cau-
sa exprimi debet. *c. 1. de sentent. excomm. in 6. Sex-
tò* denique in causa appellationis causa exprimi de-
bet, quare prima sententia revocetur. *c. Cum Berthol-
dus; 18. h. t. Verùm Abbas in cit. c. Sicut; num. 11. §.
duobus seqq. generatim dicit, quòd per se loquendo,
ad valorem sententiæ non sit necesse, ut causa in ea
exprimatur, licet per accidens quoad diversos effe-
ctus, qui ex sententia possunt oriri, debeat interdum
causa exprimi: nam damnatus ex una causa efficitur
infamis, non item ex alia: v. g. tutor, si removeatur
à tutela, ob dolum commissum, efficitur infamis,
non autem, si ob negligentiam; ideo, ut appareat, an
sit infamis, necne debet Iudex in sententia conde-
mnatoria causam remotionis exprimere. *l. Heres; 4.
ff. de susp. tutorib. ubi tamen additur, si in sententia
non exprimaturs causa, præsumendum esse in mitiore
partem, videlicet ob negligentiam tantum esse remoti.*
Quare in primo, secundo, & quarto gradu supra al-
lato requiritur expressio causæ, non ad valorem sen-
tentiæ, sed, ut appareat, an Reus sit absolutus solum
ab observantia illius instantiæ: an verò simpliciter,
& in perpetuum; vel per quem steterit, quò minùs
feratur sententia definitiva. In tertio casu, quando
Reus absolvitur; quia non possidet, debet exprimi
causa, ut, si postea denuo possidere incipiat, possit
conveniri, non obstante exceptione rei iudicatæ. In
quinto casu latæ excommunicationis exprimenda est
causa, necessitate præcepti; quia jura strictè man-
dant causam hinc exprimi, ad coercendam facilitatem
Iudicium in fulminanda excommunicatione, non au-
tem ob causæ omissionem irritatur sententia. Denique
in ultimo casu factæ appellationis, non tenetur Iudex
absolutè exprimere causam; quamvis id æquum sit, si
sententia ex novis actis rescindatur, ad conservandum
honorem, & existimationem prioris Iudicis, & sic intel-
ligi debet. *c. Cum Ioannes. 10. de fide instrum. Abb. hic n. 12.**

Notandum secundò. Si constet, sententiam latam
esse à Iudice, tum præsumitur, omnia acta iudicij præ-
cedentia esse rite, & legitime facta, idque propter Au-
thoritatem, ac potestatem iudicialiam, ac proinde asse-
renti contrarium incumbit onus probandi. *Abb. hic n. 7.*

XII. Assertio 4. Sententia, quæ fertur à Iu-
dice, debet esse certa, etiamsi Summa incerta petita sit.
§. Curare, Instir. de action. & ibi Gl. V. Vel rei; quia

aliàs litem non dirimeret, imò non valeret, nec rei
iudicatæ auctoritatem haberet. *l. pen. §. ult. c. de sent.
quæ sine certa quant. profer.* Id autem intelligendum
est, quatenus res in iudicium deducta patitur, quæ
interdum talis est, ut incerta sententia sit ferenda, ve-
luti, si fructus petantur, si ex obligatione alternativa
agatur, seu aliquid petatur, *l. Vbi autem; 75. §. Illud;
§. Qui illud; ff. de V. O. idque colligitur ex cit. §.
Curare; ibi: Quantum possibile ei sit.*

§. III.

Quomodo sententia sit ferenda?

XIII. Assertio 1. Sententia ferenda est, par-
tibus litigantibus ad eam audiendam citatis, trinà cita-
tione, vel unà peremptorià. *l. Contumacia; 53. §. 1. ff. de re
judic. l. Tres; 9. c. Quom. §. quand. iudex §. c. Alioqui
sententia contra absentem non citatum lata est nulla.
l. Ea quæ; 7. §. l. Consentaneum; 8. c. eod. Ratio autem,
cur partes litigantes citari debeant ad audiendam
sententiam, est; quia iudicatum, seu sententia non
valet, nisi ii, quorum interest, sint præsentis, verè, vel
interpretativè: nam legitime citati contumaciter ab-
sentes pro præsentibus habentur, *l. De unoquoque; 47.
iuncta Gl. V. Præsentibus; ff. de re judic. Excipi debet,
nisi factum sit notorium: adeò, ut liquidè constet, nul-
lam Reo condemnando defensionem competere pos-
se; tunc enim valet sententia lata contra absentem, et-
iam citatum. Arg. c. Ad nostram; 21. de iureiur. §. Arg.
c. Cum Olim; 12. iunct. Gl. V. Absentis; h. t. Vbi Papa
absentis licet non citato imponit silentium; quia liqui-
dè constitit de subreptione, & fraude illius, & tradit
ibid. *Abb. num. 19. & sequentibus: ubi etiam regulam
tradit, nempe, quòd in facto etiam notorio, si possit ali-
qua defensio Reo competere, semper requiritur cita-
tio, aliàs sententia etiam ab Imperatore, vel Principe
lata, erit nulla, quippe contra jus naturale.***

XIV. Idque sumitur etiam ex *Clement. Pasto-
ralis; 2. h. t. Vbi sententia lata ab Imperatore Henrico
contra Regem Siciliae declaratur nulla, & irrita ipso
jure, eò quòd contra absentem, nec legitime citatum,
promulgata sit: nam ibi dicitur in §. *Præ illud: notis*
„ simum esse, quòd Imperator Regem extra districtum,
„ seu territorium Imperij, in Regno scilicet Siciliae,
„ notoriè, ac continuè supra dicto tempore morantem
„ citare non potuit; nec citatio, si quam fortè de ipso
„ infra Imperij fines fecit, citatù extra Imperium con-
„ stitutum arctavit. Ratio est; quia Iudex extra territo-
„ rium suum existentem citare non potest. *c. ult. de Con-
stit. in 6. nec quidem verbaliter. Ex qua Clement.
præterea colligitur, quòd, etiamsi citatio legitime facta
sit, non tamen obliget citatum ad comparandum in
loco notoriè non tuto, vel citato odioso, ac suspecto.
§. Notorium; & ibi Gl. V. Notorio.**

XV. Assertio 2. Si quis legitime citatus ad
audiendam sententiam, ex iusta quidem, sed Iudici ig-
norata causa, non compareat, tenet sententia, eo ab-
sente, lata, sed retractatur, si is probet legitimam
causam absentia; si verò legitimum impedimentum
absentia; non plenè probet, non retractatur sen-
tentia, nisi priùs probet eam iniquam fuisse; pro-
ut sumitur ex *c. Cum Bertholdus; 18. h. t. & ibi.
Abb. in summa, ubi ait, hunc esse verum, & notabilem
intellectum huius c. in quo talis casus proponitur*
Ber-

» Bertholdus miles villam, aut pagum suum, hypo-
 » thecæ nomine obligavit militi P. quo mortuo, A.
 » nepos eius, & heres, vacante Ecclesiâ eius loci, præ-
 » sentavit D. Clericum, asserens, jus patronatus ad
 » ipsum, cum jure universitatis, transisse: quare Ar-
 » chidiaconus, consentiente Episcopo, dictum D. in
 » eadem Ecclesia instituit, inducens eum in possessionem
 » corporalem: quo audito, Bertholdus dominus
 » fundi T. Sacerdotem Episcopo presentavit, qui ta-
 » men eum non admisit. Idcirco dictus T. litem mo-
 » vit Clerico D. coram Rhemensi Archiepiscopo Le-
 » gato Sedis Apostolicæ, qui illam causam quibus-
 » dam Judicibus delegavit, eâ formâ, ut eam exami-
 » natam, & instructam ad ipsum remitterent. Sed
 » cum Clericus D. cum suis attestacionibus advenis-
 » set; Sacerdos verò T. nec per se, nec per procura-
 » torem compareret; Archiepiscopus, inspectis dicti
 » Clerici attestacionibus, ipsum ab impetitione Sa-
 » cerdotis T. per sententiam absolvit, indicens e-
 » dem silentium super dictâ Ecclesia. Postea vero
 » idem T. intra breve tempus accedens ad Archiepi-
 » scopum justam absentia causam allegavit: quo
 » facto, Archiepiscopus Episcopo Argentino electo,
 » & quibusdam aliis per litteras mandavit, ut, si ju-
 » stam absentia causam coram eis probaverit, prio-
 » rem sententiam nullius valoris esse, declarent, cau-
 » samque ipsi definiant, alioquin sententiam illam
 » observari curent. Verum delegati illi Judices vi-
 » ces suas aliis subdelegarunt, qui, cum testes super
 » illo articulo recepissent, ab eis Clericus D. ad Pon-
 » tificem appellavit. Porro quamvis T. Sacerdos
 » justam absentia causam coram subdelegatis mi-
 » nus sufficienter probârit, ne tamen opinio veritati
 » præjudicaret, Papa Innocentius III. R. Diaconum
 » Cardinalem dedit Auditorem ad cognoscendam
 » causam principalem, qui cum Papæ omnia retulisset,
 » ex tenore sententiæ apparuit, Archiepiscopum
 » fuisse circumventum: partim, quia continebatur in
 » ea, quod per attestaciones Clerici D. sufficienter
 » probatum fuisset, supra dictum A. quando eundem
 » Clericum presentavit ad Ecclesiam, in possessione
 » juris patronatus fuisse, cum tamen per attestaciones
 » illas nihil aliud probatum fuerit, nisi quod prædi-
 » cti P. & A. ratione cuiusdam juris, ob quod ex Ec-
 » clesia illa patronis aliquid præstari consuevit, an-
 » nuatim X. solidos acceperint: partim, quia in eadem
 » sententia continebatur, quod T. in probatione de-
 » fecerit, & tamen ex attestacionibus apparebat, ipsum
 » intentionem suam sufficienter probasse: partim de-
 » niq; quia Archiepiscopus causam non sufficien-
 » ter instructam recepit, cum unius tantum partis at-
 » testaciones receperit, quæ parum ad rem faciebant.
 » Quapropter Pontifex prædictam sententiam Archi-
 » episcopi irritavit, & Ecclesiam T. Sacerdoti ad judi-
 » cavit; quia ex attestacionibus evidenter constitit,
 » ipsum à vero patrono ad Ecclesiam illam fuisse præ-
 » sentatum.

XVI. Pro intellectu huius c. Notandum pri-
 » mò. Si post litem contestationem, absente alterâ parte
 » legitime citatâ, sententia lata sit, quæ post X. dies
 » transijt in rem judicatam, & deinde pars compareat,
 » audiri amplius non debet, nisi justam causam absentia
 » sufficienter demonstrât: alioqui sententia rescindi de-
 » bet, perinde, ac si lata non esset, juxta l. *Quæsumus*; 60.

ff. *de re judic.* ubi dicitur: Si rei judicatz tempore, alio
 » ex litigantibus habuit febrem, res non videtur judica-
 » ta, ubi *Gl. V. Judicata*; ait: si Judex scivit impedimen-
 » tum; tum enim sententia non valet lata contra absen-
 » tem; idque constat ex hoc c. ubi decernitur: si par-
 » quæ nec per se, nec per procuratorem ad constitutum
 » terminum comparuit, post latam sententiam, intra
 » breve tempus, accedens, justam causam absentia de-
 » legaverit, ac ostenderit, priorem sententiam nullam
 » esse robotis, alioquin sententiam illam observandam
 » esse. *Gl. hic V. Justam causam.* Si verò justum impedi-
 » mentum, sive causa absentia sufficienter non proba-
 » tur; tum sententia non statim retractari debet; allegans
 » tamen impedimentum admittendus est ad intiman-
 » dam sententiam, & ad agendum contra illam, ita, ut,
 » si nihil probaverit contra sententiam, illa maneat in
 » suo robore: sin autem probaverit, illam injustam esse,
 » maximè ex actis, & tenore sententiæ, ea retractari de-
 » beat. *Abb. hic n. 35.* Verum hoc universim non proba-
 » tur esse verum, quia in c. *Ex litteris*; 4. *de in integr.* res-
 » tituit. specialiter in favorem matrimonij, concessit
 » restitutio contra sententiam, tamen si justa causa ab-
 » sentia sufficienter probata non fuit: ergo in aliis causis
 » non ita concedi debet; quia absens legitime citatus
 » præsumitur contumax, si non venerit; adeoque con-
 » tra sententiam restitui non debet, si justam causam ab-
 » sentia non sufficienter probaverit: præterquam, si his
 » super præsumptio aliqua sit adversus sententiam, per
 » quam prior præsumptio contumaciæ elidatur: ut in
 » casu huius c. in quo ex aliis causis admittitur restitui-
 » tio contra sententiam; quia attestaciones unius tra-
 » tum partis receptæ fuerunt, & quædam in sententia
 » continebantur, quæ falsa esse, & aliter se habere, ab-
 » que Judicem circumventum esse, constabat. Quamob-
 » rem Papa restitui jussit allegantem justam causam ab-
 » sentia, etsi minus sufficienter probatam, ut audiret
 » contra sententiam, ne opinio præjudicaret veritati.
 » *Gl. hic V. Minus sufficienter*; & *Alex. de Novero ibid. n. 76.*
 » & *Gl. in cit. c. Ex litteris*; & *V. Ad plenam.*

Notandum secundò. Si civitas, vel castrum ab-
 » quod, cui jus patronatus annexum est, in hypothecam
 » detur creditori, non transit in eum accessorie cum
 » universitate jus patronatus, ita, ut jure, & nomine suo
 » presentare possit; quia nec dominium directum, nec
 » utile rei transfertur in creditorem, sicut in emptorem,
 » & conductorem: nam creditor re oppignoratâ suâ
 » non potest, sed fructus restituere debet, vel in locum
 » computare. c. 1. *de usura. Gl. fin. hic*; & *Abb. n. 38. c.*
 » 39. de quo plura infra lib. 3. tit. 21. c. 38.

Notandum tertio. Ex eo, quod alicui annua
 » pensio solvatur, quæ patrono, ratione fundationis,
 » cum consensu Episcopi, dari solet, non constituitur
 » is, qui pensionem percipit, in possessione juris patrona-
 » tus, ut patet ex hoc c. & tradit *Gl. ibid. V. Quodam*
 » jure; quia fieri potest, ut pensio solvatur, non res-
 » quam patrono, sed ex alio titulo; quia v. g. res ipsa
 » hypothecata est; ideoque pensionem in sortem ac-
 » ceptam computare debet; quia non suo, sed alieno
 » nomine illam percipit; quamvis aliàs, si quis pensio-
 » nem percipiat ex Ecclesia, tanquam jus in illa ha-
 » bens, constituatur in possessione ipsius Ecclesiæ.
 » juxta c. *Cum venisset*; 9. *de restitu. spolia.* Vel dis-
 » potest, creditorem in casu huius c. propter perso-
 » nationem pensionis, quæ patrono solvi consuevit, non
 » fuisse

fuisse constitutum in possessione Juris patronatus; quia alius fuit in possessione illius Juris: *Abb. hic n. 37.*

XVII. Alercio 3. Sententia ferri debet cum causa cognitione, & servato Juris ordine, sive cum præscriptis processibus solemnitatibus; alioquin est ipso jure nulla; uti habetur in *l. Probatum; 4. C. de sentent. & interloc. omn. judic. & cap. Ad probandum; 24. h. t. junct. Gl. V. Ex alia iusta causa.* ut quia non fuit Juris ordo servatus, qui consistit in eo, ut offeratur libellus, lis contestetur, juretur de calumnia, depositiones testium recipiantur, & publicentur &c. *Glof. in cit. l. Probatum, V. Solum Iudiciorum ordinem.* Id vero extenditur, quod etiam S. Pontifex in causis decidendis, & sententiis ferendis Juris ordinem servare debet. *cap. In causis; 19. h. t.* ubi dicitur: In causis, quæ Summi Pontificis Iudicio deciduntur, & Juris ordo, & vigor aequitatis exacte est observandus; quia ceteri Iudices postea in similibus causis similiter judicare debent: nisi forte Pontifex, consideratâ necessitate, vel utilitate, dispensativè aliquid statuendum, existimaverit.

XVIII. Ubi Notandum primò. Ordo Juris, vel est inductus mero Jure positivo, ut, quod libellus offeratur in scriptis, litis contestatio fiat &c. & talem Juris ordinem Papa non debet observare ex necessitate, sed solum ex honestate observat, cum Princeps huiusmodi legibus non sit ligatus. *l. Digna vox; 4. C. de legib. & Papa ex plenitudine potestatis de jure potest supra jus dispensare; ut dicitur in cap. Proposuit; 4. de concess. præb. unde & Innocentius in cap. unic. de lit. contest. num. 1. ait, quod coram Papa sufficit narrationes partium fieri, sine petitione aliqua, vel litis contestatione; quia præsentia partium supplet has solemnitates. Et in cap. 1. de transact. habetur, quod confirmatio Papæ (vel alterius Principis) si fiat ex certa scientia, seu cum causæ cognitione, suppleat defectum actûs, qui confirmatur, ita, ut ei jus, ac valor tribuatur, si requisitâ solemnitate careat, modò sit defectus Juris positivi, in quo Princeps dispensare potest; ut notat *ibid. Abb. n. 5.* Vel ordo Juris descendit ex Jure naturali, aut gentium, ut est citatio partis, & ut defensor Rei admittatur (nisi notorium sit, nullam ei competere) *Clement. 2. h. t. l. De unoquoque; 47. ff. de re judic. & tales solemnitates non potest tollere, nec supplere Papa, vel alius Princeps etiam supremus; quia pertinent ad naturalem æquitatem. Abb. in cit. cap. In causis; n. 1.**

XIX. Notandum secundò. Sententia lata à Papa, vel alio Principe habet vim legis, & facit Jus inter alios Iudices inferiores, ita, ut etiam ipsi in similibus causis similiter judicare debeant; prout habetur in *cit. cap. In causis; hoc tit. & in l. ult. in princ. C. de legibus.* ubi dicitur, si Imperator, causâ examinatâ, & partibus cominus constitutis (id est, præsentibus; juxta *Glof. ibid. V. Cominus*) sententiam dixerit, omnes Iudices, qui sub Imperio sunt, sciant, hanc esse legem, non solum illi causæ, pro qua producta est, sed etiam omnibus similibus; quia, quod Principi placuit, legis habet vigorem. *l. 1. ff. de constit. princ. ubi etiam inter modos ferendi leges numeratur, quod Princeps cognoscens decrevit, videlicet dando definitivam sententiam, ut expliat *Glof. ibid. V. Decrevit.* Ratio est; quia Iudicium Principis præsumitur esse integrum, & omnia*

Tomus II.

in eo plenè examinata. Aliud verò dicendum est de inferiorum Judicium sententia: hæc enim non facit Jus inter alios non litigantes coram illis; quia sententia non habet vim legis generalis, nec est habenda pro regula, quæ pro similibus causis decidendis in eodem foro observanda sit, sed tantum est declaratio particularis restricta ad causas, & personas, inter quas processus Judicij est institutus. Et de huiusmodi sententiis inferiorum Judicium procedit, quod dicitur in *l. Nemo; 13. C. de sentent. & interloc. omn. jud.* non exemplis, sed legibus judicandum esse; quia horum Judicium non præsumitur ita integrum, sicut Principis, nec ipsi habent potestatem condendi leges, nec interpretandi, quoad alios, extra causam. *l. fin. C. de legib.* Verumtamen, si aliquoties in aliquo Tribunali in similibus causis ita judicatum sit; tunc etiam per alios deinceps ita judicandum est in loco illo; quia inde orta censetur quadam consuetudo, qui stylus Curia, seu fori vocatur; ut colligitur ex *l. 37. ff. de leg. & tradit Abb. hic n. 3.*

XX. Ceterum, quod dictum est, sententiam Principis facere Jus inter Iudices inferiores, ut in similibus causis ita quoque judicare debeant, id Limitandum est primò. Nisi Princeps per dispensationem, vel ex plenitudine potestatis statuerit aliquid, vel decreverit per sententiam contra, vel præter Jus commune; illud enim ad alios casus similes extendendum non est, ut habetur hîc in fine; quia, quod à lege communi exorbitat, non est producendum ad consequentias. *l. 14. ff. de legib. & l. 1. in fine. ff. de constit. princ. Laym. lib. 1. tract. 4. cap. 18. n. 2.*

Limitatur secundò. Ut procedat in sententia definitiva, non autem in interlocutoria tantum, nisi hæc sit Corpori Juris inserta: tunc enim pro lege habetur, & Jus facit generale, etiam in causis similibus. *l. Leges; 3. junct. Gl. V. Præjudicantibus. C. de legib. Abb. hic n. 4.* Vel, nisi Princeps interlocuendo Jus exponat: tunc enim hæc declaratio vim legis habet, etiam in aliis similibus causis, ut indicat *Gl. in l. Metum; 9. §. Sed quod Prætor, ff. quod met. caus. V. Colligitur.* vel si interlocutoria sententia feratur, causâ cognitâ, & partibus præsentibus. *Arg. cit. l. ult. C. de legib. quia tunc est eadem ratio in utraque sententia. Abb. hic n. 3. & 4.*

Limitatur tertio. Si sententia definitiva à Principe lata, non solum sit contra Jus alterius partis litigantis, sed etiam contra Jus commune, sive contra legem in Corpore Juris contentam: tum non censetur Princeps talem sententiam tulisse ad legem universam abrogandam, sed solum in speciali causâ juri alterius partis litigantis derogare voluisse: solus enim Princeps potest Jus uni auferre, & alteri dare. *Abb. hic n. 4.*

Limitatur quarto. Si sententia definitiva à Principe lata sit contra absentem contumaciter, qui ad sententiam audiendâ citatus noluit comparere; tunc non videtur Jus facere inter alios Iudices in causis similibus. *Arg. l. ult. C. de legib. ubi partiû præsentia requiritur ad hunc effectû; ut tradit Abb. hic n. 5.* ubi ait, quod sufficiat absentia partis solum tempore sententiæ, ut dicatur lata propter contumaciam, etiam si is toto tempore processûs præfens fuerit. Sed verius est, si causâ, præfente utraque parte, sufficienter cognita fuit, etsi postea alterâ parte contumaciter absente, sententia lata sit, talem sententiam Jus facere inter alios Iudices, ita,

Yyy

ut in

Excipitur sextò. Nisi per consuetudinem contrarium sit introductum, per quam tolli possunt eiusmodi solemnitates, ut nimirum valeat sententia per alium lecta, Iudice præsente, & mandante: vel etiam, si recitata sententiâ per alium, sine scriptura, Iudex dicat: Absolvo, vel condemno. *Franc. cit. loc. num. 6. limit. 1.*

Excipitur septimò à nonnullis, quòd Iudices Conservatores denunciationem, seu recitationem sententiæ alijs committere possint. *cap. ult. §. Vices quoque; de offic. deleg. in 6.* Item Inquisitores hæreticæ pravitatis. *Franc. in cit. cap. ult. num. 6. limit. 4. & 7.* Verùm in citatis textibus solum habetur, quòd Conservator actum, seu partem suæ Jurisdictionis alijs committere possit; ut notat *Gl. in cit. cap. ult. de offic. deleg. in 6.* At verò recitatio sententiæ ex scripto, præsente Iudice, non est actus Jurisdictionis, sed nudum ministerium, quod Iudex per alterum tanquam instrumentum suum exercet.

XXIV. Porò, quòd posteriorem partem huius cap. attinet, Iudices sedendo, non stando, aut eundo, sententiam definitivam proferre debent, alioquin irrita est sententia, ita, ut nec appellare necesse sit; ut habetur *in fine cit. cap. ult. in 6. junct. Glof. ibid. V. Momenti.* Ratio est; quia dignitas iudicantis, & maturitas sententiæ in Iudice sedente magis comprobatur, teste S. Hieronymo super Daniele *cap. 8.* idque extendit *Glof. in cit. cap. ult. V. Sedendo.* quòd Iudices sedere debeant, non solum, cum definitivè pronunciant, sed etiam, dum causa plenè cognoscitur; ut colligitur ex *Auth. Illustribus. §. Sanctimus; Collat. §. & Auth. de Iudicibus. §. Sedebant; Collat. 6. & l. 2. §. Dies. ff. Quis ordo in possess. servet.* in causis tamen, in quibus proceditur simpliciter, & de plano, sine strepitu Iudicii, valet sententia prolata à Iudice, sive stante, sive sedente, juxta *Clement. Sepe; 2. §. Sententiam; & ibi Gl. V. Sians de V. S. & Gl. in cit. cap. ult. V. Stando. h. t. in 6.*

XXV. Assertio 2. Iudex ferre debet sententiam in loco publico, ubi sui Prædecessores soliti sunt Jus reddere; aliàs sententia non valet, si sit Iudex ordinarius, qui certum tribunal habet, juxta *l. C. ordinariarum; 6. C. de sentent. & interloc. omn. jud. l. pen. ff. de justit. & Jur.* Secus est in Iudice delegato ad unam causam particularem, qui potest sibi eligere locum congruum, tutum, ac honestum, in quo Jus dicat; cum certam sedem non habeat, sicut & arbiter. *l. Si cum dies; §. §. Si arbiter. ff. de recept. arbit. Delegatus autem ad universitatem causarum debet Jus dicere in loco delegantis; quia Ordinario æquiparatur: & ita debet intelligi textus in l. Si locus; §. 9. ff. de Iudic. Marant. cit. loc. num. 71. 72. & 73.* Episcopus verò in quolibet loco suæ Diocesis non exempto sententiam ferre potest. *cap. Cum Episcopus; 7. de offic. ordin. in 6.* potest tamen Iudex, ex consensu partium, sententiam ferre in alio loco, non solito, modo non egrediatur territorium suum, sicut & Iudex appellationis in quovis loco honesto. Item si locus non sit tutus, si procedatur de plano, sine strepitu iudiciario, aut in causis voluntariæ Jurisdictionis, aut si Episcopus sit vi expulsum ex sua Diocesi. *Marant. c. l. n. 79. & pluribus seqq.*

XXVI. Assertio 3. Sententia ferri debet tempore congruo, videlicet non die feriato. *cap. 1.*

Tomus II.

de Feriis. *l. fin. C. Eodem.* aliàs sententia est irrita. *l. Si ut proponis; 4. C. Quom. & quando Index;* de quo actum suprâ *tit. 9.* Deinde ferenda est eo die, & hora, ad quam facta est citatio; aliàs, si feratur ante, vel post terminum citationis, non valet, tanquam lata, parte non citatâ. *Arg. l. Aut qui aliter; §. in princ. & l. ult. §. fin. ff. Quod vi, aut clam.* nisi citatus fuerit contumax; tum enim potest Iudex ferre sententiam, post terminum, quandocunque vult sine alia citatione, cum ob contumaciam semper sit in mora. *Mar. cit. loc. num. 89.* Denique sententia ferri debet de die, & non de nocte; prout sumitur ex *cap. Consuluit; 24. de offic. deleg.* ubi habetur, quòd Iudicium Ecclesiasticum non debeat exerceri in tenebris; quia illæ aptæ sunt ad fabricandum falsum; ut monet *Glof. ibid. V. Ostendat lucem.* & ex communi tradit *Mar. cit. loc. num. 92.* ac proinde partes se opponere possunt, ne Iudicium de nocte instituantur: sin autem nihil excipiant, adeoque tacitè consentiant, licet malè agat Iudex, si seclusâ necessitate, de nocte iudicarium processum peragat, vel sententiam definitivam proferat; tamen processus institutus, adhibitis sufficientibus luminibus, & sententia lata valet; ut dummodo aliud non obstat; & præcipuè, si Iudex honestus sit, cum nullo Jure irrita esse legantur: multa enim prohibentur fieri, quæ tamen si facta sint, subsistunt. *cap. Ad Apostolicam; 16. de Regular. & tradit Glof. in cit. cap. Consuluit; V. Tenebras.* licet aliqui contrarium teneant. Illud admittunt omnes, consuetudine induci posse, ut sententiæ noctu ferantur, adeoque tunc valere, sicut & si ambæ partes præsentes sint, & non contradicant, *Mar. cit. loc. num. 92.*

J. V.

Contra quem ferri debeat sententia, quando dominus agit per procuratorem, & quomodo sententia sit probanda?

XXVII. Assertio 1. Siquis non per se ipsum, sed per Procuratorem agat in Iudicio, Ipectato Jure Civili, sententia condemnatoria contra procuratorem ferri debet; si quidem civiliter agatur per procuratorem, & cum illo, quamvis alterius absentis nomine, litis contestatio facta sit: alioquin sententia lata contra dominum, seu principalem ipso Jure irrita est, juxta *l. 1. C. de sentent. & interl. & c.* idque sumitur etiam ex *cap. Querelam; 25. §. Nos igitur de elect. junct. Glof. V. Oeconomi.* ubi ait: Concipienda sunt verba sententiæ in personam procuratoris, non principalis personæ. *Marant. de ordin. judic. p. 6. tit. de sententia actu 1. num. 112. Laym. in cit. cap. Querelam; num. 112.* Ratio est; quia procurator per litis contestationem fit dominus litis; adeoque cum illo quali contractum censetur: quare, sicut in contractibus actiones, & obligationes procurator sibi acquirere censetur, quas deinde mandanti, seu principali cedere debet. *l. Multum; 6. junct. Gl. V. Potes. C. Siquis alteri, vel sibi & c. dummodo sit*

Yyy a

do sit verus Procurator, & non tantum nuncius, sive merum instrumentum mittentis: ita idem dicendum in quasi contractu, seu Judicio, post litem contestationem.

XXVIII. Limitatur tradita doctrina primò. Si dominus, seu principalis in principio litem fuit præfens, eamque ipsemet contestatus est, poterit deinde in ea causa ferri sententia contra ipsum, qui relicto procuratore absens est; ut notat *Gl. in cit. l. 1. V. Non fuit. Arg. l. Farti; 6. §. Siquis alieno. ff. de his, qui not. infam.* quamvis contrarium doceat *Bart. in cit. l. 1. n. 5. C. eod. ubi Gl. cit. V. Non fuit.* notat, utrumque ex consuetudine, & dominum, & procuratorem condemnari, si ille sit præfens tempore late sententia. Secundò. Si agatur in Judicio non ordinario, ac procedatur simpliciter, & de plano, sine strepitu Judicii: tum principalis condemnari potest etiam in causa civili, & foro seculari. *Gl. marg. cit. l. 1. lit. A.* Tertio. Si de crimine agatur criminaliter per Procuratorem, tunc in dominum, seu eum, qui Procuratorem ad se defendendum constituit, sententia ferri debet, juxta *l. ult. C. de iniur.* & notat *Abb. in cit. cap. Querelam; n. 10. de elect.* Quarto. In causis matrimonialibus, & beneficialibus, aut similibus Spiritualibus, in quibus sententia ferri non potest contra procuratorem, necessariò ad dominum, seu principalem dirigenda est, v. g. ut maritus uxori cohabitaret, debitum coniugale reddat, ut Clericus beneficium resignet &c. *Gl. in cit. cap. Querelam; V. Oeconomi.* Quintò. Si Syndicus, vel administrator generalis, nomine Ecclesiæ, vel alterius communitatis, agat in Judicio, tum sententia ferri potest contra Ecclesiam, vel Communitatem; ut constat ex *cap. Licet; 9. de probat. & ibi Gl. V. Commune. & cap. Suscitata; 6. junct. Gl. V. Monasterium. Bart. in cit. l. 1. n. 13. C. de sentent.* ubi notat, quòd quoad hoc non sit discordia inter Jus Civile, & Canonicum. Ratio est; quia, cum Ecclesia, aliave communitas necessariò agere debeat per alium, tanquam procuratorem, syndicum, vel curatorem; ideo Jure statutum est, ut actiones, & obligationes, etiam ad ipsos transeat, quorum nomine agitur. *l. Eum, qui; 5. §. Si Actori. ff. de constit. pecun.* Sextò. Si tutor nomine pupilli agat, vel curator nomine minoris viginti annis, ipsemet Judicium suscipere censetur, ideoque sententia contra pupillum, vel minorem ferri potest. *Gl. in cit. l. 1. V. Non fuit in addit. Bart. in cit. l. 1.*

XXIX. Ceterum de Jure Canonico minùs attenditur ad has legales subtilitates, sed sive in procuratorem, sive in principalem personam absentem, in civilibus causis, sententia concipiatur, ea valet; ut notat *Gl. fin. in cap. Licet; 9. de probat. & in cap. Suscitata; 6. V. Monasterium de integr. restit.* quia re verà dominus per Procuratorem suum principaliter contrahit, & in Judicio litem cum adversario contestatur; qui autem per alium facit, perinde est, ac si faceret per se ipsum. *Reg. Jur. 72. in 6.* Vnde etiam executio sententiæ, v. g. exactio solutionis debita fit in bonis domini mandantis. *Molin. tract. 2. de justit. diff. 551. n. 4.* & vice versà, si vincat procurator in Judicio, ipsi principali, seu mandanti solutio fieri debet, nisi procurator speciale mandatum habeat. *l. Hoc Iure; 86. ff. de solut. & judicati actio adversus dominum, non contra procuratorem datur, licet in personam ipsius sententia lata sit, nisi se liti obtulerit. l. Man-*

rius; 61. ff. de Procurat. l. Si ses 4. ff. de re judic. Et licet etiam in Camera Spirensi, etsi lites omnes per Procuratorem agitentur, tamen sententiæ concipiuntur in personam domini indistinctè, sive dominus nunquam in Judicio præfens fuerit, sive initio litem comparuerit, illamque contestatus sit, teste *Gail l. 1. obs. 111.* ubi tamen excipit causas iniuriarum, in quibus sententia in procuratorem fertur, ad evitandam infamiam in principali.

XXX. Assertio 2. Si sententia à Judice lata sit, ea probari potest, & debet per duos testes: nam actus, ad cuius substantiam requiritur scriptura, cuius modi est sententia definitiva, juxta *cap. ult. h. t. in 6. C. l. 2. C. de sentent. ex brev. recitand.* probari potest per duos testes, si scriptura sit perita. *c. Cum olim; 12. de privileg. Abb. in c. Sicut; 16. n. 4. h. t.* Tria autem hoc casu probanda sunt, videlicet, actum celebratum fuisse, instrumentum super eo confectum, illudque amissum, juxta *l. Testium; 14. C. de testib. & docet Malin. de probat. concl. 908. n. 1. & 2.* Potrà, tamen testes non deponant de scriptura, ex qua sententia recitata sit, si tamen deponunt de actu sententiæ late; inde oritur præsumptio, quòd in scripturam redacta fuerit, cum scriptura requiratur ad substantiam judicialis sententiæ, saltem in causis non levis momenti. *l. 2. C. Auth. Nisi breves. C. de sent. ex brev. recit.* nam propter judiciariam auctoritatem censentur testes deposuisse de sententia legitime lata; adeoque ex scriptura, juxta *cit. cap. Sicut in fine;* & notat *ibid. Abb. nam. 4.* idque procedit, si ex actis præcedentis Judicii constet, testes deposuisse de sententia lata, alioquin deberent testes de hoc ipso examinari, an audiverint, sententiam ex scripto esse recitatum, juxta *l. 2. C. Eodem.*

§. VI.

Quomodo sententia ferenda sit conformiter libello, & an, si in illo certa causa expressa sit, ea probari debeat?

XXXI. Assertio 1. Sententia ferri debet, secundum formam, ac tenorem libelli. *Clemen. Sep. 3. de V. S.* ubi dicitur, quòd juxta petitionis formam pronuntiatio sequi debet. *l. Ut fundus; 18. ff. de divid. & sumitur etiam ex cap. Quando; 24. circa fin. & ibi Gl. V. Judicii formam; de accus. & cap. Licet; 11. de simon. Marant. de ordin. judic. p. 6. in actu 1. de pen. num. 61.* Vnde si actum est possessorio Judicio, non debet Judex ferre sententiam super petitorio, sed super possessorio, & vice versà, vel, si actum est utroque simul, non pronuntiabit super altero tantum. *Do rand. in specu. tit. de sentent. §. 5. n. 15.* Debet autem sententia esse conformis libello, seu petitioni in rebus: in re, id est, ut Judex de alia re non pronuntiet, quam quæ petita est: in causa petendi, ut Judex aliam causam non proferat: in actione, ut eam actionem sequatur, quam Actor instituit, sive condemnat, sive absolvat. *Filthrop. in process. Judic. p. 4. tit. 1. num. 5.*

Limitatur primò. Quòd possit Iudex, ultra petita in libello, & deducta in Iudicio, condemnare in iis, quæ virtualiter, & tacite insunt rei; ut, si petatur fundus, potest condemnare etiam ad fructus, & petentem debitum ad restitutionem pignoris, licet illud non sit petitum; quia venit ex natura actionis intentatæ. Secundò, in causis criminalibus, in quibus Iudex ultra id, quod petitum fuit, pro arbitrio, condemnare potest. Tertiò, in supremo Tribunali Principis, in quo proceditur, solâ veritate facti inspectâ. *Marant. c. l. n. 62. & 63.*

XXXII. Assertio secunda. Si is, qui in Iudicio petit rem aliquam (intentatâ actione reali, vel personali) certam causam, seu titulum expressit, quem probare non potest; tum Actor succumbit, & Reus absolvi debet; licet post litem contestatam nova causa, seu titulus supervenerit, ex quo Actor obtinere possit: si verò certam causam specialem non expressit, sed in genere tantum agatur, vel res petatur: tum sufficit, si Actor probat unam aliquam iustam causam; prout sumitur ex *c. Abbate; 3. h. t. in 6.* ubi talis casus proponitur. Lis, seu controversia erat inter Abbatem de Bonefacto, & Hospitalarios S. Joannis, super Castro de Rosellis, quod Abbas pro se, & Conventu suo agens in iudicio, ad se pertinere, dicebat, jure domini, vel quasi domini, unâ cum finibus suis, ex donatione Regis Aragoniæ; ideòque petit, locum illum Monasterio adjudicari, & Hospitalarios inde amoveri. Sed Hospitalarii allegabant, locum de Rosellis ad ipsos pertinere; quia Rex Aragoniæ Castrum Corvantiæ, cum finibus suis, intra quos erat locus de Rosellis, prius donaverat Hospitalariis, sub conditione, si ex potestate infidelium Saracenorum liberaretur. Quare, cum talis conditio honesta, & laudabilis fuerit, & quidem re ipsâ impleta, quando quidem successor Regis, videlicet nepos eius, castrum, & locum illum Saracenis eripuit, proinde ille ad Hospitalarios iterum pervenit; prout habetur in *cir. c. 3. §. Allegabatur.* Postquam verò Hospitalarii fundarunt intentionem suam, refutarunt allegationes Monasterii de Bonefacto, videlicet, quòd Abbas ille, & Conventus intentionem suam non probarint: dicebant enim in libello, quòd à Rege locus de Rosellis Monasterio suo donatus fuerit; cum tamen solum probarint, Regem eum donasse Monasterio Populeti, à quo deinde Monasterio suo, videlicet de Bonefacto donatus fuerit, ex quo non constabat, Regem illum locum donasse eidem Monasterio, vel mandasse donari. *§. Multum hic.* Neque refert, quòd Rex Monasterio Populeti donationem fecerit sub modo, seu hoc gravamine, ut aliud Monasterium construeret; quia non ideo eius intentio fuit, ut in loco de Rosellis edificaretur Monasterium: sed, ut Monasterium Populeti, cui multa bona donata sunt, ex propriis redditibus Monasterium edificaret; præsertim, quia Monasterio, quod nondum erat, nulla donatio fieri poterat. *§. Nec pro eo hic.* Sed neque ea donatio; quæ à Monasterio Populeti facta fuit Monasterio de Bonefacto, suffragari potest, eò quòd post litem contestatam inter Monasterium de Bonefacto, & Hospitalarios, & processum in causa, contigerit: nam inde apparet, quòd dictum

Monasterium de Bonefacto jus, si quod ei ex tali donatione acquisitum est, in Iudicio non deduxerit, cum postea primum supervenerit; adeòque sententia de jure ferri non poterat; quia Iudex non pronunciat, nisi super petitis, & contentis in libello. *§. Præmissa verò hic.* Vicissim verò ex parte Monasterii de Bonefacto replicatum fuit, donationem illam conditionalem non posse subsistere; quia Rex ille non potuit obligare successorem suum, quoad ea, quæ successor postea primum propria industria acquisivit, ita, ut propria illius, & ab aliis hereditariis bonis separata censerentur. *§. Pro parte autem hic.* Sed neque obitare debet, quòd donatio à Monasterio Populeti facta fuerit Monasterio de Bonefacto, post litem in Iudicio contestatam, & ceptum processum in causa; quia etiam Actori prodelle debet, si quid juris ipsi, durante Iudicii processu, ante latam sententiam, superveniat, sicut idem in Reo observari solet. *§. Porro hic.* Sed ad has replicationes responderunt Hospitalarii, quòd, cum donatio olim à Rege facta fuerit nomine Regni; ideo successor nepos illius donatoris donationem ab avo factam observare, & implere tenebatur. *§. Sed ad hæc hic.* Ceterum donatio, quæ à Monasterio Populeti facta est Monasterio de Bonefacto, ipsi in hac parte suffragari non potest; quia, si Actor ex certa aliqua, & speciali causa (in libello expressa, ut in casu huius c.) egit, & postea (id est, post litem contestationem. *Gl. hic V. Postea.*) alia causa, seu titulus ei superveniat (ut quia prius petebatur res ex causa donationis, postea ex causa venditionis, vel simili causa, v. g. ex causa donationis factæ ab alia persona, & alio loco, & tempore. *Gl. hic V. Similis*) tum non potest videri, Actorem hunc novum titulum in Iudicio deduxisse: sed Iudex sententiam laturus diligenter considerare debet, num ex eadem causa, quæ ab Actore prius proposita fuit, intentio ipsius fundata sit, necne. Secus esset, si Actor egisset ex causa generali, nullâ factâ mentione causæ specialis, petendo, rem sibi adjudicari, eò quòd eius dominium ad ipsum pertineat; tunc enim Iudex pronunciat sententiam, id solum considerare debet, utrum de jure, seu dominio illius constet, ad eò, ut, tamen jus ex causa, post litem contestationem, supervenerit, & consequenter Actor primitus verum jus petendi non habuerit, tamen pro ipso sententia sit ferenda. Neque etiam multum prodesset Reo, si in eo Iudicio ex superveniente causa absolveretur; quia mox alio contra ipsum instituto Iudicio, ex illo condemnandus foret. Manet igitur hoc discrimen, quòd, si Actor generaliter intentionem suam proponat, asserens, sibi dominium, vel quasi, competere, nullâ causâ specialiter expressâ, obtinere possit, etsi in ipso Iudicii processu dominium rei ei superveniat, ante latam sententiam. At verò, qui agit ex certa, & speciali causa, seu titulo in sua petitione expresso, non debet obtinere, nisi postea intentionem suam ex eadem omnino causa, seu titulo, quem prius expressit, etiam tunc sibi competere, probaverit. Quare, cum Abbas, & Conventus de Bonefacto in petitione sua proposuerit, locum de Rosellis, cum terminis, seu finibus suis, ad se spectare, ex donatione Regis ipsi facta,

« Et, quam tamen postea non probavit, sed solum
 « ostendit, donationem ipsi factam esse à Monasterio
 « Populeti, quæ tamen in petitione expressa non
 « erat, nec ante petitionem, vel litem super ea con-
 « testatam, sed postea primùm facta est; ideo
 « dictum Monasterium de Benefactio nullum ex ea
 « commodum reportare debet. *cit. §. Ceterum hic.*

« His ex utraque parte propositis, Cardinalis à
 « Papa in hac causa Auditor datus diligenter perpen-
 « dit, si ex causa speciali, & expressa actum sit, vi-
 « delicet donationis, vel venditionis, vel alterius
 « causæ specialis, quod iudex non potest, nec debet
 « animum suum informare ad proferendam senten-
 « tiam ex iis, quæ post inchoatum iudicium eveni-
 « unt, sed ex probationibus productis secundum
 « locum, tempus, & alias circumstantias; ut appa-
 « reat, num ex causa illa speciali, quam Actor in pe-
 « titione proposuit, & expressit, eius interfuerit,
 « necne? Aliud verò est, si in genere, sine certæ
 « causæ expressione, petitio facta sit; quia agens
 « dominus rei sit, vel quasi dominus: tunc enim
 « etiam si post coeptum iudicium, seu litem contesta-
 « tam, Actor rem petitam acquisierit, sententia pro
 « eo ferenda est; quia in hoc casu non requiruntur,
 « nec attendi possunt concomitantia, scilicet locus,
 « & tempus. Et, licet aliqui curiosi, qui de subtili-
 « tatibus parùm utilibus disceptant, aliter in hoc
 « ipso casu, si scilicet actum sit, nullà causâ, seu ti-
 « tulo speciali expresso, discurrant: utilius tamen
 « est, ne causæ diutius prorogentur, sed citiùs ex-
 « pediantur, observare id, quod dictum fuit: præser-
 « tim, cum notum sit, nonnulla ob communem uti-
 « litatem contra juris rigorem, ex æquitate tolerari.
 « Quamobrem, cum, ut dictum est, Abbas, & Con-
 « ventus de Benefactio donationem sibi à Rege fa-
 « ctam esse, quam causam specialiter in petitione sua
 « proposuerunt, & expresserunt, haud probârunt;
 « ideo Cardinalis Auditor Hospitalarios ab eorum
 « impetitione absolvit: quam sententiam Innocen-
 « tius IV. ratam habuit, & auctoritate Apostolicâ
 « confirmavit; prout habetur in fine hic.

« XXXIII. Pro declaratione huius proluxi, &
 « difficilis cap. Notandum primò. Ea, quæ sunt penes
 « infideles, possunt donari sub honesta conditione, si in
 « potestatem fidelium iusto bello pervenerint; ut col-
 « ligitur ex hoc c. imò etiam absolutè, & purè donari
 « possunt, si antea aliquando fuerunt penes fideles, li-
 « cèt nunc sint penes infideles; ut terra Ierosolymitana;
 « idque jure Postliminii, juxta quod res recuperata
 « ab hostibus censetur semper permanisse in potestate
 « prioris domini. *l. Id quod; 9. ff. De legat. 1. & ibi
 « Bart. Anchar. hic not. 7. & Franc. §. Allegabatur. n. 4.*

« Notandum secundò. Donatio facta Monaste-
 « rio construendo, vel alteri Ecclesiæ, quæ nondum
 « est, non valet, uti habetur in hoc c. §. *Nec pro eo;*
 « quamvis possit quis per modum legati, vel per aliam
 « donationem mortis causâ aliquid relinquere Monaste-
 « rio, vel Ecclesiæ construendæ. Ratio diversitatis
 « est; quia legatum potest relinqui absenti, & igno-
 « ranti: nam ad legatum non requiritur legatarii acce-
 « ptatio; quia heres illud præstare debet: donatio verò
 « inter vivos etiam ad pias causas, cum sit species
 « pacti, non potest fieri alteri, nisi per se, vel per alium
 « ipsam acceptet; ut docet *Gl. in l. Illud; 19. V. Alia*

« causa; *Vers. Sed dico. C. De SS. Eccles. Anchar. hic not.
 « 12. & Franc. §. Allegabatur; n. 3.* Imò etiam Eccle-
 « sia ædificanda heres institui potest. *c. 3. de testam.
 « sicut posthumus nasciturus, Bart. in l. Servus; 17. n.
 « 4. ff. De aliment. leg. potest etiam alicui donari inter
 « vivos fundus, sub ea obligatione; ut Ecclesiam in eo
 « ædificet, & dotet; ut tradit *Gl. fin. in c. pen. de Eccl.
 « edific. & Bart. c. l.**

« XXXIV. Notandum tertio. Rex Aragonie
 « donavit Hospitalariis S. Joannis Castrum quoddam,
 « cum suis finibus, in quibus situs erat locus de Rod-
 « lis, qui tunc erat sub potestate infidelium, quem locum
 « cum postea donavit Monasterio Populeti, sed sub
 « conditione, si ad manus fidelium pervenerit: deinde
 « mortuo Rege, eius nepos, qui successit in Regno, re-
 « beravit locum illum è potestate infidelium, & sic facta
 « impleta conditio: sed quia Monasterium de Bene-
 « factio in petitione suâ proposuit, donationem illam si-
 « bi factam esse à Rege Aragoniæ; ideoque petebat
 « locum illum sibi tradi ex speciali causâ donationis,
 « quam postea non probavit, sed solum ostendit, dona-
 « tionem illius loci sibi factam esse à Monasterio de
 « Populeto, quæ tamen in petitione libelli non erat ex-
 « pressa, & primùm post petitionem, & litem contesta-
 « tam facta fuit; ideo, si quidem hanc suam intentio-
 « nem, super quâ se fundavit, non probavit, Reus ab-
 « solvi debet ab hoc iudicio, & petitione Actoris; quia
 « Iudex sententiam ferre non potest, nisi super eo, quod
 « in libello petitum est, & super quo lis est contestata.
 « *Vivian. in Ration. hic.* Verumtamen Actor postea ex
 « alia causâ, seu titulo agere poterit in alio iudicio,
 « non obstante exceptione rei Judicatæ, sive is titulus
 « in priore iudicio tempore litis contestatæ extiterit,
 « sive postea primùm supervenerit. *l. Si mulier; 17. §.
 « Denique; ff. De except. rei Judic. Gl. hic. V. Huiusmodi;
 « Io. Monach. hic n. 13.*

« Notandum quartò. Si in actione reali domi-
 « nium, vel quasi dominium, tanquam causâ proximâ,
 « generatim, & absolutè in iudicium fuit deductum,
 « non expressâ certâ, & speciali causâ, v. g. Peto mihi
 « à Titio possessore dari fundum; quia dominus al-
 « lius sum, aut quasi dominus: & post litis contestatio-
 « nem novus titulus domini ipsi adveniat; tunc ius
 « octato jure civili, & stricto, non potest iudex ferre sen-
 « tentiam pro Actore, eique rem adjudicare, ob super-
 « venientem novum titulum; quia non potest iudicare,
 « nisi secundum id, quod in iudicium deductum
 « est: ac causâ, seu titulum post litis contestationem su-
 « perveniens non fuit in iudicium deductus; quia
 « tunc nondum erat. *l. Non potest; 23. ff. De iudic. ubi
 « dicitur: Non potest videri in iudicium ventile illi,
 « quod post iudicium acceptum accidisset: id est, in-
 « pisset esse debitum. Gl. pen. ibid.* Et quamvis is, qui
 « generalem libellum formavit nullius causæ specialem
 « mentionem habentem, omne jus suum in iudicium
 « deduxisse censetur, juxta *l. ult. C. De ann. except. il-
 « tamen solum verum est, quoad omne jus, omnibus
 « que actiones tunc competentes, non autem quoad
 « oritur; quia, cum actio sit petitio eius, quod illi
 « debetur, non datur, nisi ex jure tunc subsistente, &
 « competente. Verùm secundum Jus Canonicum (in
 « quo æquitas magis attenditur, quam juris subtilitas,
 « & quæ rigori juris præferenda est) si quis agat, vel
 « petat rem in genere, tanquam jure domini, vel*

quasi ad se pertinentem, nullâ expressâ causâ speciali, solum inspiciendum est iudici, utrum de iure eius, seu dominio, vel quasi sufficienter constet: nam tunc ferenda est sententia pro Actore, etiam si jus domini, vel quasi, pendente iudicio, saltem priusquam in causa conclusum sit, supervenerit, & appareat, ab initio minus iuste petitum fuisse, sive Actorem jus petendi non habuisse; licet secus sit de rigore juris; ut colligitur ex hoc c. ubi propè finem dicitur, æquitatem juris rigori præferendam esse, ob publicam utilitatem. *Anchar. hic not. 19. & Franc. §. ult. n. 2. & 4.* Ratio est; quia, quando agens rei vindicatione petit rem in genere, censetur omne jus suum deducere in iudicium, cum dominium sit causa rei vindicationis, non tantum, quod tunc erat, scilicet tempore litis contestatæ, sed etiam, quod postea, durante iudicii processu, cœpit competere. *Franc. hic §. Sed ad hæc: idque propter benignam interpretationem, ut lites citius expediantur.*

Notandum quintò. Si quis petat rem ex causa speciali v. g. donationis, aut venditionis, debet probare, certo loco, & tempore eam esse factam; quia locus, & tempus necessariò comitantur actus speciales, seu particulares; ideòque, nisi donatio probetur certo loco, vel tempore esse facta, Actor succumbet, cum sit dubium, num ante, an post litem contestatam fuerit facta: in dubio autem regulariter pronunciat contra Actorem. At verò agens generaliter, sive petens rem, certâ causâ non expressâ, non debet certum locum, & tempus probare; quia hæc non necessariò comitantur actum genericum, sicut specificum, seu singularem; ut habetur in hoc c. §. fin. cum enim Actor nullam causam, seu titulum expresserit, perinde est, quo loco, & tempore illud obtinuerit, ante sententiam. *Gl. hic V. Locus, & tempus; & V. Censetur. Io. Monach. ibid. n. 18. & duobus seqq. Anchar. ibid. not. 18. & Franc. §. ult. n. 3. & 4.*

SECTIO II.

DE RE IUDICATA, SIVE transitu sententiæ in rem iudicatam.

§. I.

Quando sententia transeat in rem iudicatam, ita, ut retractari non possit?

XXXV. Assertio prima. Si pars litigans, contra quam sententia lata est, sive definitiva, sive interlocutoria, intra decem dies non appellet, cum posset appellare, sententia transit in rem iudicatam, ita, ut postea contradicere volens, ordinariè non audiatur; prout constat ex *Aurb. hodie. C. De appellat. & c. Quod ad consultationem; 15. h. t.* Nam, cum cuidam Clerico (quia v. g. suspectus erat, quòd damnum iniuste intulisset) purgatio indicta fuisset, ita, ut nisi intra XX. dies se purgaret, certam pecuniam solveret, eamque conditionem ipse acce-

præset, adveniente postea die, seu termino elapso, idem appellavit, nullâ expressâ causâ appellandi. Hoc intellecto, Papa Innocentius III. respondit, appellationem eius recipi non debere; quia, cum intra X. dies non appellaverit; ideo post hoc tempus elapsum, sententia in auctoritatem Rei iudicatæ transiit, ipsèque Clericus per Juris interpretationem censetur latæ sententiæ acquiescisse, ut proinde appellare postea non possit, præsertim, quando nulla causa reddita est appellandi. Sed neque executio ipsius sententiæ contra eundem Clericum latæ, per quam condemnatus fuit ad solvendam certam pecuniam, ideo retardari debet; quia tempus quadrimestre, quod ordinariè iure statutum est ad solvenda talia debita, nondum elapsus est: nam hoc tempus à Iudice breviri, vel prorogari potest; & cum Clericus sponte breviter terminum acceptarit, hoc sibi imputare debet, & sic longiori tempore quatuor mensium renunciâsse censetur. Quare appellans non est audiendus; nisi fortè modus, & forma executionis à Canonibus præscripta contra eum excedatur; tum enim audiri debet, si de hoc conqueratur.

XXXVI. Ubi notandum primò, Tempus decendii ad appellandum præfixum statim currit à tempore latæ sententiæ, non autem à tempore termini assignati ad executionem sententiæ; prout colligitur ex hoc c. & ratio est; quia, cum primùm sententia fertur, gravatur pars condemnata; adeòque statim currit tempus ad appellandum concessum. *Abb. hic n. 4.*

Notandum secundò. Si condemnatus non appellat à sententia contra se lata, intra tempus statutum, censetur acquiescere sententiæ; ut habetur etiam in *l. Abeo; 3. in fine. C. Quomodo, & quando Index &c. & in l. ult. C. De sentent. quæ sine certa quantitate profer. ubi in fine dicitur, quòd condemnatus non appellando censetur confirmare sententiam; videatur enim in eam consentire, qui ab eo statuto tempore non appellat; ut addit *Gl. fin. ib. Abb. hic n. 6.* Idem habetur in *c. Cum dilectus; 32. de elect. ubi in fine dicitur, quòd sententia transeat in rem iudicatam, cum intra decendium non fuerit provocatio legitima suspensa. Porro hæc præsumptio, quæ censetur non appellans sententiæ acquiescere, hoc operatur; ut postea non audiatur, quamvis absolute loquendo possit esse falsa; cum frequentissimè ex alia causa appellatio intermittatur; videlicet, quia lites aliquis exæcatur, ita, ut malit re carere, quàm propter eam sæpius litigare; ut dicitur in *l. Item si res; 4. §. 1. ff. De alienat. iudic. mut. caus.***

Notandum tertio. Quod dictum est, sententiam, si ab ea intra decendium non fuerit appellatum, transire in rem iudicatam, ita, ut saltem per remedium ordinarium retractari amplius non possit, id intelligendum est, si aliàs de iure subsistat: si enim, vel, quia à Iudice non competente, vel in falsum procuratorem mandato carentem, vel etiam contra Jus commune lata, vitium nullitatis contrahat, ne quidem decennio, multò minus decendio elapso, auctoritatem rei iudicatæ consequatur, neque appellatio est necessaria. *l. 2. C. Quando provoc. non est necesse. cum quæstio nullitatis XXX. annis duret, sicut alia actio personalis, secundum communem, &*

in

in Camera Imperiali receptam sententiam, teste *Gail. lib. 1. obs. 127. n. 8. Mysing. cent. 5. obs. 92. n. 2.*

Notandum quartò. Potest Judex tempus quadrimestre jure præfixum pro executione sententiæ in personalibus debitis, ex causa justa abbreviare, vel prorogare, v. g. ad 6. menses, juxta *l. 2. C. l. Si se; 4. §. Si quis condemnatus; ff. De re judic. C. tradit Gl. hic V. Arctari*: alioquin tempus, quod diminutum est à Judice, suppletur à lege. *cit. l. 4. §. Si quis condemnatus. Gl. cit. V. Arctari*; quamvis sine causâ cognitione, seu expressione causæ justæ, sicut breviori non potest per Judicem, ita nec prorogari hoc tempus ad solvendum jure concessum. *Felin. hic n. 8.* quia prorogatio, & arctatio æquiparantur in proposito, juxta *cit. l. 2.* Quòd si tamen condemnatus sponte breviorum terminum accepit, tunc sibi ipsi hoc imputare debet, cum videatur amplius beneficium contempnissse: ac proinde talis non audietur, si appellet, vel conqueratur, nisi modus in executione excedatur, ut in fine huius c.

XXXVII. Assertio secunda. Sententia lata contra jus litigatoris, non tamen contra Jus commune, postquam appellatione intra decendum non interposita, transit in rem judicatam, tenet, & jus tribuit parti, pro qua judicatum fuit, contra alteram, ita, ut hæc non admittatur, si iterum productis actis, vel aliâ ratione probare velit, sententiam contra se latam injustam esse; prout sumitur ex *c. Cum inter; 13. h. t.*

Nam orta controversia inter Abbatem, & Conventum S. Zenonis Veronensis, ex una parte, & Archipresbyterum, & Clericos S. Proculi ex altera, super subiectione Ecclesiæ eorum, ex parte Monasterii propositum fuit, quòd Ecclesia Clericorum pleno jure (id est in spiritualibus, & temporalibus) subiecta esse debeat Monasterio, videlicet quoad institutionem, destitutionem, investituram Archipresbyteri, promissionem fidelitatis ab Archipresbytero Abbati faciendam, eiusdem quoque, & fratrum suorum obedientiam, correctionem, præsentationem ad Ordines, & primam tonsuram, suspensionem Chismatis, Litanias, sive processionem, & alia similia, per quæ plena subiectione significatur: ad quam probandam ex parte Monasterii productum fuit publicum instrumentum concessionis factæ à B. quondam Episcopo Veronensi, quam concessionem successor eius T. ratam habuit, & confirmavit. Insuper etiam producta sunt à Monasterio privilegia Romanorum Pontificum, & Patriarcharum Aquileensium, quorum unus expressè meminit de plenaria subiectione, fuitque hoc privilegium datum sub testimonio R. postea Veronensis Episcopi, qui illo tempore eiusdem Ecclesiæ Archipresbyter fuit, petitque; ut Prior S. Zenonis suo loco subscriberet (quia ipse fortè scribere non poterat. *Gl. hic V. Sua vice.*) Præterea ex parte Monasterii propositum fuit, quòd inter B. quondam Abbatem eiusdem Monasterii, & Archipresbyterum S. Proculi, & fratres eius, olim controversia orta fuerat super fidelitate, & obedientia manuali (id est, quæ promittitur præstito juramento, vel saltem stipulatâ manu, *Io. Andr. hic n. 8.*) ad quæ duo solum isti se obligatos esse Abbati, negârunt, & testes producerunt. Postremò Episcopus Veronensis Cardinalem quendam se-

quens (qui delegatus fuit ad causam. *Gl. hic V. Cardinalem; & hoc idem jam antea judicaverat*) per sententiam latam definivit, ut Archipresbyter vel Ecclesiam dimittat, vel Abbati obedientiam promittat: quæ sententia cum ab ea appellatum non fuerit, in rem judicatam transit. His auditis, & intellectis, Papa Innocentius III. respondit, quamvis suprâ dictæ donationis, seu concessionis instrumento fortasse non multum sit insitendum, neque etiam confirmationibus, vel privilegiis consequentibus; quippe quæ à priorè illo instrumento causam, & originem acceperunt; quia tamen inter ipsos litigantes ex lata sententia, postquam ea in rem transit judicatam, post decem dies, jus factum fuit, etiam si contra jus litigatoris lata fuisset, quòd quidem contra jus constitutionis, seu legem expressè lata non fuit; cum videtur Actorum judicialium, quæ ob auctoritatem rei judicate legitime gesta præsumuntur, sermonibus, seu verbis donationum, & confirmationum, ac privilegiorum prævalere debet. Quare idem Papa definivit; ut Archipresbyter S. Proculi, qui pro tempore fuerit, Abbati S. Zenonis fidelitatem, & obedientiam præstet.

XXXVIII. Ratio huius constitutionis est; quia ex juris dispositione, post lapsum decendum, præsumptio est pro sententia, eam iustè latam fuisse, ita, ut postea nihil amplius queratur; quia res capit haberi certa. *l. Post rem; § 6. junct. Gl. V. Quæritur. ff. De re judic. & quidem præsumptione juris, & de jure, ita, ut in contrarium nulla probatio admittatur; quia juxta *reg. 207. ff. De R. L.* res judicata pro veritate habetur: quod intelligendum est de ea sententia, quæ per appellationem, vel supplicationem amplius rescindi non potest; ut tradit *Gl. hic V. Inducitur;* quia post 10. dies transiit in rem judicatam. Eius verò talis sententia propriè non sit veritas; sæpe enim contingit, ut ipsi veritatis repugnet, & contrarietur, à parte rei sit iniquissima; tamen, quia res judicata præsumitur vera esse; ideo in *cit. reg. jur. C. in l. Ingenium; 25. ff. De statu hom.* non dicitur esse veritas, sed accipi, seu haberi pro veritate, quod fictionem, & impropriam importat; ita tamen, ut ex ipsa dispositione excludat omnem probationem contrariam, ut jam dictum.*

XXXIX. Notandum hæc præterea primò. Quamvis sententia ab initio, cum primum lata est, jus inter partes litigantes non constituit, sed declarat, ut tradit *Gl. in c. Forus; 10. V. Juris status de V. S. q. l. Sicut; 8. §. Et si quidem. ff. Si servus vindic. ubi dicitur: Per sententiam non debet servitus constitui, quæ est, declarari: postquam verò diesto clausi sunt, intra quos non fuit per appellationem sententia suspensa, facit jus inter partes litigantes; quia, si bene, sive malè judicatum sit, standum est sententiæ libtâ, propter auctoritatem rei judicatz, & quia præsumitur rite, & legitime esse lata, nec, si condemnatus probare velit, illam esse injustam, admittitur. *Al. hic n. 7. C. 11.* Verumtamen, si ex actis, vel aliunde notoriè constet, sententiam esse injustam, ea irrita est; ut dictum suprâ *n. 5. h. t.* quia præsumptio juris pro veritate rei judicatz, sive iustitia sententiæ cessat, si contraria injustitia nota sit, & indubitata; neque potest is, in cuius favorem sententia est lata,*

eam tunc conscientia sequi, vel petere, aut acceptare eius executionem, si certo sciat, eam iniustam esse, seu contra Jus alterius partis litigantis. *Abb. hic. num. 8. Laym. lib. 3. tract. 6. de iustit. cap. 2. q. 3. num. 12. Dico 5.*

Notandum secundò. Quando hic dicitur, quòd sententia lata contra Jus litigatoris, à qua intra decem dies non est appellatum, teneat, ut in casu huius cap. lata verò contra Jus constitutionis, seu jus commune non valeat, id ita intelligendum est, si in sententia error, sive repugnantia Juris, seu legis fuerit expressa; quia nimirum Iudex in sententia ferenda se, & intentionem suam expressè fundat contra Jus commune; tunc enim cessat omnis præsumptio pro iustitia sententiæ, eaque tanquam manifestè iniusta, & iniqua non valet. Si verò sententia sit contra Jus litigatoris tantum, vel etiam videatur esse contra Jus constitutionis, sive Jus commune, ita tamen, ut de hoc manifestè, & notoriè non constet; quia error, sive repugnantia Juris in sententia non est expressa; tum valet sententia; quia pro iustitia sententiæ stat præsumptio, præsertim, quia reus condemnatus videtur non appellando acquiescisse sententiæ; prout colligitur ex hoc cap. in quo tacitè insinuat, valere sententiam, si in illa error, seu repugnantia Juris, vel legis expressa non sit. *Abb. hic n. 9.*

Notandum tertio. Ideo in hoc cap. dicitur instrumento donationis non esse multum innitendum; quia donatio, seu concessio Episcopi non fuit facta secundum formam Juris; ut explicat *Glos. hic V. Donationis.* forte enim non intervenit Capituli consensus, & ideo etiam confirmationes, vel privilegia, quæ donationem illam confirmabant, non valebant: nam si principale non tenet, tunc nec accessorium. Addit *Abbas hic n. 19.* quòd etiam in privilegiis sanctissimorum Pontificum Ecclesia S. Petri non fuerit simpliciter pleno Jure concessa Monasterio, sed solum prima concessio, seu donatio Episcopi fuit confirmata, in forma communi: adeoque, si illa donatio, seu concessio Episcopi non valet, nec confirmatio, vel privilegia in illa concessione Episcopi fundata valent.

XL. Assertio 3. Si sententia, quæ post elapsam decennium transit in rem iudicatum; quia ab ea non fuit appellatum, lata sit contra privilegium exhibitum in Judicio, ea tenet, nec prætextu privilegii retractari debet: sicut, etiam si privilegium non fuerit exhibitum, & Iudex proferat sententiam contra illud, à qua tamen non fuit appellatum, vel supplicatum, talis sententia prætextu privilegii non est retractanda; prout sumitur ex *cap. Suborta; 21. hoc tit.* Nam, cum orta fuisset controversia inter Episcopum Meldensem, & Monasterium Atrebatense super subiectione eiusdem Monasterii, partibus litigantibus coram Papa Innocentio III. constitutis, petiit procurator Episcopi ipsum restitui in quasi possessionem obedientiæ, & cum per confessionem partis adversæ (videlicet procuratoris Monasterii, cuius confessio nocet domino, adeoque etiam Ecclesiæ, si à Prelato, & Capitulo simul sit constitutus in causa communi. *Glos. hic V. Per confessionem. & Abb. n. 1.*) constaret, Episcopum olim fuisse in quasi possessione obedientiæ in eodè Monasterio, Papa decrevit, ipsum restituendum esse

Tomus II.

in eadem. Quia verò procurator Monasterii exhibit in Judicio privilegium Innocentij II. in quo plena libertas, seu exemptio Monasterii expressa erat, causam delegavit Decano Suedionensi, & aliis coniudicibus, eà formâ, ut Episcopum in quasi possessionem obedientiæ restituant, quo restituto, si is rationabile aliquid contra dictum privilegium non attulerit, & probârit, silentium ipsi super subiectione monasterii indicant. Cum autem Iudices causam istam examinatam, & instructam ad Pontificem remisissent, is intellexit, quòd Episcopus efficaciores rationes contra Monasterium haberet; quia ab Alexandro III. Pontifice pro ipso sententiam latam esse contra monasterium probatum est: ideo subiectionem, & obedientiam eidem Episcopo adiudicavit, ut videlicet super Monasterio tanquam Diocesanus potestatem haberet, ita tamen, ut per hoc nullum Sedi Apostolicæ præiudicium generetur, quòd minus, si voluerit, Jus suum prosequatur. Neque obstat, quòd sententia Alexandri III. repugnet privilegio Innocentij II. prius dato Monasterio: nam vel illud privilegium fuit exhibitum in Judicio, coram Papa Alexandro; & tunc sententiam ferendo contra illud, censetur illud reprobasse, seu revocasse: vel non est exhibitum; & tunc sententia lata ab eo, prætextu privilegii postea reperti, non debet retractari.

XLI. Pro explicatione huius cap. Notandum primò. Ei, qui agit Judicio possessorio ad recuperandam possessionem subiectionis, seu obedientiæ, sufficit probare, quòd fuerit in illius possessione, vel quasi, & quòd subditi reuuant obedire: nam hoc ipso censetur spoliatus. *Innocent. hic, & Abb. n. 2.* nam, qui semel possedit, censetur semper possedisse, & continuasse possessionem, nisi contrarium ostendatur. *cap. Olim; 17.* & ibi notat *Gl. margin. de restit. spoliat.*

Notandum secundò. Sententia lata à Papa, vel Principe contra privilegium ab Antecessoribus concessum, & exhibitum in Judicio tenet; quia censetur illud tacitè reprobare, seu pro obreptio, vel aliâ ratione invalido habere: præsumitur enim, de illius valore fuisse actum; cum verisimile non sit, quòd Princeps contra illud pronuntiasset, nisi ex aliqua causa fuisset invalidum. *Abb. hic n. 4. & Alexand. de Nevo num. 12.* non enim solet Princeps ordinariè sententias ferendo alicuius juri derogare velle: imò tametsi sit tale privilegium, quod Princeps pro libitu revocare potest, non tamen id præsumitur velle, nisi sufficienter exprimat: nam decet, concessum à Principe beneficium esse mansurum. *Reg. Jur. 16. in 6.* Verùm sententia lata ab inferiore Judice contra privilegium à Papa, vel Principe concessum, invalida est, nisi de illius valore prius fuerit legitime disputatum. *Arg. cap. Cum venissent; 12. de iudic. Alexand. de Nevo cit. loc.*

Notandum tertio. Per sententiam latam pro Episcopo super Jure exemptionis, seu immediatæ subiectionis non præiudicatur Juri Sedis Apostolicæ; ut habetur in hoc c. quia res inter alios acta, aliis non debet præiudicare. *Toto tit. C. Res inter alios acta &c.*

XLII. Porro, quòd dictum est de sententia lata contra privilegium, eam non esse retractandam, prætextu privilegii de novo producti, si-

Zzz

mili-

militer dicendum est, quod neque propter instrumenta, vel alias probationes de novo repertas possit, nec debeat rescindi sententia prius lata, quæ transit in rem iudicatam; quia ab ea non est appellatum; prout habetur in *l. Imperatores*; 35. ff. de re iudic. *l. Sub specie*; 4. C. Eodem. ubi dicitur, sub specie novorum instrumentorum postea reperorum res iudicatas restaurari exemplo grave est, idque etiam constat ex *cap. Inter*; 20. h. t. ubi dicitur, quod prætextu novorum instrumentorum, lites decise restaurari non debeant; adeoque nec sententia lata retractari. Ex. g. si creditor, cuius parens solutionem à debitore, datâ ipsi hoc nomine apochâ, seu quittantiâ, ut vocant, accepit, eo postea mortuo, bonâ fide, debitum exigat; & debitor, quia fortè instrumentum liberatorium solutionis ad manum non habet, iterum condemnatur ad solvendum; ac sententia, elapso decennio, in rem iudicatam transierit, non poterit ea ob apocham, quâ parens creditoris sibi debitum solutum fatetur, postea repertam retractari saltem per remedium Juris ordinarij. *l. Si fideiussor*; 29. §. *In omnibus*. ff. *Mandati*. idque tam in causa civili, quam in criminali. *Abbas in cit. cap. Suborta*; num. 10. *hoc tit.* nam æquitas exigit, ut rei iudicæ aliquando standum sit, & acquiescendum, ut litium scilicet, quas expedire, & diminueri Reipublicæ interest. *l. Quidam*; 21. ff. de rebus credit. aliquis sit finis, ne immortales existant. *l. 1. C. de re iudic. Abb. cit. loc. num. 13.* idque procedit, etiam si sententia sit lata contra Ecclesiam: non enim est retractanda, ob instrumenta, vel alias probationes de novo repertas, spectato Jure communi. *Abb. cit. loc. num. 5.* Verumtamen per beneficium restitutionis in integrum subveniendum est Ecclesiæ, ut rescindatur talis sententia, non minus, quam Reipublicæ, juxta *cit. l. Imperatores*; & tradit *ibid. Glos. V. Publico negotio*. sicuti & minori. *Arg. l. Minor*; 36. ff. de minoribus. ubi ob omisam allegationem, & multo magis de novo reperta instrumenta, minorem restituendum esse, deciditur: Ecclesia autem Jure minoris utitur. *cap. 1. de restit. in integr. in 6. Abb. cit. loc. num. 5.* Imò etiam privatus ex clausula generali restituendus est, contra sententiam, quæ transit in rem iudicatam, propter instrumenta de novo exhibita, si probaverit, antea se exhibere non potuisse; ut docet *Innocent. in cap. Ultra*; 55. de testib. n. 2. *l. Alexand. de Novo in cit. cap. Suborta*; num. 25. *l. 26. h. t.* vel etiam, si dolo adversarij, vel tertij factum sit, quod minus ante latam sententiam producerentur. *Alexand. de Novo cit. loc. num. 27.* Porro præter casus allatos, sunt & plures alij, in quibus sententia transit in rem iudicatam, quos recenset *Hiltrop. in process. judic. p. 4. tit. 18. n. 4.* & aliquot seqq. apud quem videri possunt.

XLIII. Verùm, quod supra dictum est, sententiam, quæ transit in rem iudicatam, postea retractandam non esse, id limitari debet primò. Siquis contra executionem sententiæ, postquam ea transit in rem iudicatam, excipiat, esse iniustam, & probet; tunc licet ea exceptio debuisset repelli, juxta *cap. Inter*; 20. de sent. *l. re iudic.* quia sententia transit in rem iudicatam; si tamen à Judice sine protestatione, de facto fuit admilla, & cognita, cum

fit exceptio, quæ suapte naturâ prodest, est debito tempore non sit opposita; ideo tum etiam sententia profecti debet super iniustitia; quia eâ de re, de qua Judex cognovit, pronunciare debet. *l. De negotio quo*; 47. ff. de re iudic. *Glos. in cap. Cum commo gat*; 36. *V. Nihilominus de offic. judic. deleg. l. 1. Abb. num. 8. l. 9.* ubi ait, hunc esse unum casum, in quo sententia, postquam transit in rem iudicatam, prætextu iniustitiæ, debet retractari. *Loym. ibid. num. 3.* Alter casus est, si para iustrix, fateatur, sententiam pro se latam esse iniustam, ea retractari debet. *Abb. in cap. Cum iustrix*; 13. num. 8. *hoc tit.* Tertius casus est, si novum sit, sententiam iniuste latam esse; tum etiam retractari debet. *Arg. l. Si pars*; 10. ff. de iustic. restit. & dictum supra num. 28. *hoc tit.* *Abbas cit. loc. num. 8.* Nam, quod sententia Judicis, post decem dierum lapsum, si ab ea appellatum non sit, retractari amplius non possit, id fit iudicis quia tum propter auctoritatem Judicis, & rei iudicæ, tum propter tacitum consensum partis condemnatæ non appellantis, sententia lata præsumitur esse iusta: latæ autem præsumptio, etsi Juris sit, & de Jure, cessat, & cedere debet, si de contraria veritate notorie constet, vel ea legitime sit probata. *Loym. cit. l. 1.*

S. II.

An, si prima sententia transit in rem iudicatam, secunda ab aliis Judicibus, v. g. delegatis, contra primam lata valeat?

XLIV. De hac questione agitur in *cap. Inter*; 20. h. t. ubi talis casus proponitur. Vacante Monasterio S. Leodij, Monachi elegerunt Abbatem ex gremio suo, quam electionem Monachi S. Antonij oppugnârunt, dicentes, sibi jus circa electionem Abbatis illius Monasterii competere (quia ex jure speciali potest unum Monasterium habere jus eligendi Abbatem tam activè, quam passivè in altero monasterio. *c. Dilectus*; 8. de consuet. *l. c. Abbates*; 25. de P. S. & alibi dictum) Hanc causam Papa commisit quibusdam Judicibus, coram quibus partes litæ contestatæ sunt, & processum fuit in causa, testibus que recepti sunt: tum verò Monachi S. Antonij litteras à Papa impetrârunt ad alios Judices, et quod priores ipsis suspecti essent; sed Judices priores considerantes, exceptiones suspensionis obiectas esse frivolas, & per litteras secundas non esse revocatas priores, processerunt in causa, & non obstante, quod Monachi S. Antonij appellârunt, confirmârunt electionem factam per Monachos S. Leodij. Re hac delarâ ad Innocentium III. is respondit, quia prima commissio per secundam revocata non fuit, & causæ suspensionis in Judicio propositæ frivola erant; atque obiectæ sunt post litis contestationem, quæ tamen tanquam dilatorie exceptiones antea obijci debuissent: ideo partes, subeun-

subeundo Judicium coram Judicibus delegatis, exceptionibus dilatoriis renunciâsse censetur. Et quia insuper in secundis litteris delegationis, neque de privilegijs Sedis Apostolicæ (per quæ libera facultas eligendi Abbatem ex suo gremio, vel aliunde Monasterio S. Leodii est concessa. *Glos. hic V. de privilegijs.*) neque de processu causæ coram prioribus Judicibus instituto, quidquam dictum fuit, quæ tamen si ab impetrantibus fuissent expressa, litteras secundas non obtinuisent. Neque obstat etiam sententia, quæ pro Monasterio S. Antonii lata erat (per quam fortè Jus eligendi ipsi in totum, vel ex parte adiudicatum fuit. *Hostiensis hic V. Non obstante.*) quia illa neque Papæ, neque prioribus Judicibus fuisset oblatæ, seu exhibitæ; & etiam si illis fuisset exhibitæ, nihilominus, eâ postpositâ, contra ipsam decrevisent (quia non valebat) vel, si ponatur, quòd Judices primi, pro sententia, si illis exhibitæ fuisset, pronunciassent, tum sibi ipsis Monachi S. Antonii imputare debent, quòd non exhibuerint: nam solo prætextu novorum, id est, de novo repertorum instrumentorum, lites decifæ resciscitari non debent. Quare Papa, priorum Judicium factum ratum, & firmum esse, pronuntiavit, eorumque sententiam confirmavit, & electo Abbati benedictionem impertivit, salvo Jure Diocæiani, ad quem aliàs pertinet subiectos Abbates benedicere. *Hostiensis hic V. Benedictionis.*

XLV. Notandum primò. Si secunda sententia sit directè contraria primæ, & prima sententia fuit producta, & exhibitæ Judicibus prioribus, & de ejus valore fuit disputatum; tunc valet secunda sententia lata contra primam, à qua non fuit appellatum, etiam si Judex pronunciet solum super causâ principali, nullam faciens mentionem de prima sententia; quia satis intelligitur super ea pronunciâsse, dum pronunciat super causâ; ut docet *Alexand. de Nevo in cit. cap. Inter; num. 45. h. t.* Idque colligitur ex eodem cap. ubi dicitur: etiam si sententia prius lata fuisset exhibitæ Judicibus delegatis, tamen eâ posthabitâ, contra illam statuisent; quia scilicet non tenebat; ut notat *Glos. ibid. V. Posthabitæ in fine.* Si verò prima sententia non fuit exhibitæ, aut, si fuit exhibitæ, nil tamen fuit contra eius validitatem oppositum; tunc non valet secunda sententia; ut colligitur etiam ex *cit. cap. Inter.* ubi habetur, quòd secunda sententia valet contra primam; quia hæc non fuit exhibitæ Judicibus; alioquin, si tenuisset, eis, qui non exhibuerunt, imputaretur. *Textus, & Gl. ibid. V. Alioquin.* ergo, si prima sententia fuisset exhibitæ, nec quidquam propositum contra eius validitatem, non valisset: præterquam si prima expressè fuit reprobata; quia tunc præsumendum est, fuisse de illius invaliditate cognitum, & secunda sententia valeret, postquam transit in rem iudicatam. *Alexand. de Nevo cit. loc.*

Notandum secundò. Si à Papa impetratur rescriptum litis ad Judices delegatos, fieri in eo debet mentio de processu instituto, ac pendente, coram alio Judice Ordinario, & delegato: alioqui rescriptum est subreptitium, ac invalidum; prout constat ex *cit. cap. Inter; h. t.* ubi Papa respondit, primam comissionem per secundam revocatâ non esse; quia de processu Judicij coram prio-

ribus Judicibus in secundis litteris nihil dictum fuit: ratio est; quia Princeps non facilè Judicij coram Judice coram ad alium Judicem transfert: nam, ubi acceptum est Iudicium, ibi & finire debet. *l. 30. ff. de Iudic. & tradit Glos. in cap. Prudentiam; 21. V. Aliam causam de offic. deleg. Alexand. de Nevo in cit. cap. Inter; num. 6. & 7.* ubi tamen num. 8. id limitat: Nisi in rescripto contineatur clausula derogatoria communiter apponi solita: *Non obstante processu, cuius tenorem pro expresso habentes &c.*

Notandum tertio. Quamvis secunda sententia contra primam, quæ transit in rem iudicatam, lata regulariter non valeat, etiam si in diversa instantia lata sit; quia est contra res prius iudicatas lata. *l. 1. C. de quando provoc. non licet. & cap. Siquis; 41. §. Item si sententia lata caus. 16. q. 6. & docet Felin. in cit. cap. Inter; num. 15.* tamen in casu huius cap. secunda sententia, et si lata contra rem prius iudicatam, tenet; vel quia prima non tenuit, fortè lata à Judice non suo; vel non servato Ordine iudiciario, secundum *Glos. in cit. cap. Inter; V. Non obstante sententiâ.* vel quia contra secundam sententiam non fuit opposita exceptio rei iudicatæ; sed nec per instrumentum sententiæ (quod non fuit exhibitum) nec alio modo illa exceptio fuit probata; ut tradit *Hostiensis in cit. cap. Inter; V. Non obstante.*

Notandum quartò. Monachi S. Antonii in casu *cit. cap. Inter.* non appellârunt à sententia definitiva, sed ab interlocutoria; quia Judices primi noluerunt admittere exceptionem recusationis contra Judices delegatos; eò quòd causæ suspicionis allegatæ frivola erant, & sic appellantes, non expectatâ sententiâ definitivâ, contumaciter recesserunt: contumax autem, & frivole appellans non admittitur, si postea appellare velit à sententia definitiva. *Glos. in cit. cap. Inter; V. Confirmantes. & Alexand. de Nevo ibid. n. 47. & 48.*

Notandum quintò. Exceptio recusatoria Judicis tanquam suspecti, cum sit exceptio dilatoria, ante litis contestationem opponi debet, & quidem ordinariè etiam ante alias dilatorias; quia, si pars litigans alias dilatorias prius proponeret, censeretur renunciare exceptioni recusationis propter suspicionem, & Iudicem approbare. *Gl. in cit. cap. Inter; V. Subeundo Iudicium. Innoc. ibid. n. 1.* de quo plura alibi.

§. III.

Quando, & in quibus casibus sententia non transit in rem iudicatam, & in primis, an in causis matrimonialibus?

XLVI. Dictum est supra §. 1. Quòd ordinariè loquendo, si contra sententiâ definitivam intra decem dies non sit appellatum, ea causâ iudicata, & decisa reddatur, ita, ut postea retractari non possit, partim propter Juris, & Judicis auctoritatem: partim propter partis non appellantis tacitum consensum, & renunciationem.

Sunt autem aliqua causa, in quibus, etiam si intra decennium a sententia lata non sit appellatum, nova instantia iudicii peti potest, saltem probabili causa allegata; ut tradit *Innocent. in cap. Tenor; 10. hoc tit.* Et hoc est, sententiam non transire in rem iudicatam, hoc est, rem, seu causam per latam sententiam definitivam non reddi ita iudicatam, & decisam, quin peti possit, ut iterato cognoscatur, ac decidatur: & quidem ab ipsomet litigante, allegante propriam suam turpitudinem, & inconstantiam, si nimirum jam negat, quod antea confessus fuerat, *Abb. in cit. cap. Lator; 7. n. 6. h. r.* ubi ait, quod audiatur allegans propriam turpitudinem, ut evitetur periculum animae, quod non allegando incurreretur. Jam ergo quaeritur, utrum in causis matrimonialibus sententia lata transeat in rem iudicatam, an non? de quo hoc §. agemus.

XLVII. Assertio I. Sententia lata contra matrimonium, ad illud dissolvendum, nunquam transit in rem iudicatam, ac proinde tametsi à tali sententia intra decem dies appellatum non fuerit, semper postea iterum agi potest, petito, & instituto novo iudicii processu ad redintegrandum matrimonium, & retractandam sententiam, quoties compertum fuerit, eam errore quodam latam fuisse; prout constat ex *cap. Lator; 7. h. r.* Nam, cum quidam mulierem aliquam per verba de presenti sibi legitime desponsasset, & matrimonium cum illa consummasset, sed postea scandalum, seu contentio inter illos orta esset, vir mulieri debitum coniugij subtraxit: quamobrem consanguinei mulieris offensi contra matrimonium quaestionem moverunt, dicentes, quod vir mulierem invitam, & renitentem, ac quoad artem ad matrimonium nec dum aptam in uxorem duxisset. Tum vir desiderans vitam dissolutam ducere, consensit quoque, ut matrimonium separaretur. Sed postea vir, urgente propria conscientia, proposuit, separationem matrimonij rationabiliter, seu legitime factam non esse. Re delata ad Papam, Alexander III. mandavit iudicibus à se delegatis, ut, si eis constiterit, Ecclesiam deceptam fuisse, sive per iudicium Ecclesiae coniuges eos legitime separatos non fuisse, ipsos ad conjugalem cohabitationem compellant, eod quod matrimonia canonicè contracta leviter dissolvi non debeant.

XLVIII. Procedit autem decisio huius cap. non tantum, si sententia lata sit contra legitimum matrimonium, declarans, illud esse irritum, quod tamen in rei veritate est legitime contractum, ut in casu huius cap. sed etiam, si sententia lata sit pro valore matrimonij, decernens, esse legitimum matrimonium, quod tamen in rei veritate est invalidum, propter impedimentum dirimens, v. g. consanguinitatis, affinitatis, vel impotentiae &c. cui contrahentes renunciare, seu consensu suo illud supplere non possunt: nam utroque casu sententia lata non transit in rem iudicatam, sed comperta veritate retractari debet. *Abb. hic num. 9. Felin. num. 3. & alij communiter apud Barbof. in Collect. hic n. 9.*

XLIX. Porro ratio, cur sententia lata in causa matrimoniali non transeat in rem iudicatam, elapso termino ad appellandum concessio, sicut in aliis sententiis, est; quia in his auctoritas

Juris, vel iudicis, & consensus non appellantis potest aliquid operari: nam eo ipso, quod non appellat, videtur consentire in sententiam, ex quo consensus acquirat auctoritatem rei iudicatae, juxta *cap. Quod a consultationem; 15. h. r.* ibi: *Cum per hoc videtur interpretacionem iuris late sententiae paruisse: At verum in causa matrimoniali, neque Juris, aut iudicis auctoritas, neque consensus, aut renunciatio partis appellantis efficere potest, ut matrimonium non legitime contractum, sed cum impedimento dirimens, sit validum: adeoque ut eo impedimento fante, vir, & mulier carnaliter coniungantur: sicut quoque vice versa, ut matrimonium legitime contractum dissolvatur, & coniuges rite coniuncti separentur, contra Divinum praecipuum, quos DEUS coniungit, homo non separet. *Matth. 19. Quia sententia illa transiens in rem iudicatam, ita, ut retractari non possit, foret peccatum, separando veros coniuges, vel coniungendo illegitimos. *Sanch. l. 7. de mar. dif. 1. n. 1. Quare regula generalis traditur apud *Abb. in cit. cap. Lator; n. 9. quod sententia, cuius obsequantia nutrit peccatum, nunquam transit in rem iudicatam, cum neque praescriptio, neque confessio valeat nutritiva peccati.****

L. Sed huic rationi obstare videtur prima. Quod sententia condemnans ad poenam corporalem, vel mortis, à qua appellatum non fuit, transit in rem iudicatam, nec revocari potest, etiam si constet de condemnati innocentia, nisi ex speciali indulgentia Principis. *l. 1. in fine. ff. de quaest. l. Divi; 17. in princ. ff. de poen. & tamen nemo potest consentire, ut corporali poena mortis, vel mutilationis afficiatur, cum nemo sit dominus membrorum suorum. *l. Lib. homo; 13. ff. ad leg. Aquil. Resp. cum Covar. in 2. 4. Decret. p. 2. cap. 8. §. 12. num. 16. Discrimen est quoad hoc inter causam criminalem, & matrimonialem, quod in hac nec consensus tacitus, nec patientia coniugum quidquam prodest, ut matrimonium irritum invalidum sit firmum, vel quod legitimum est, dissolvatur; ut constat: adeoque illa patientia, quae condemnatus acquiescere sententiae censetur, nihil ad negotium facit. In criminali vero causa, etiam si consensus expressus nihil operetur, ut possit quis occidi, vel mutilari, nec etiam, ut necessaria sui defensionis ipsi auferatur: tacitus tamen consensus, seu potius illa patientia, quae non appellans, & nihil allegans in causa defensionem, sinit sententiam transire in rem iudicatam, ei nocere potest, Jure sic disponente; qui potest quis licite pati mortem, vel mutilationem etiam iniustam, nec tenetur se defendere; etiam expressè renunciare sui defensionis non possit.**

Obstare videtur secundò. Quod non appellans minime videtur sententiae acquiescisse; ut constat ex *cap. Concertationi; 8. de appell. in 6. ubi statuitur, quod non appellans à sententia possit contra eam agere aliis remediis, nisi in eam consenserit: ergo ex sola appellacionis omissione non censendus est, consensisse in sententiam. Resp. non appellans censetur tacite consentire, accedente ipsius juris auctoritate praesumentis, praesumptione Juris, & de Jure, non ad omnes effectus, sed ad hunc, ne de iustitia illius sententiae, & rigore Juris amplius tractetur, ad illam corrigendam, vel revocandam; cum ordinarium remedium appellacionis ad hoc à Jure inductum omniter non*

non tamen per hoc renunciare videtur aliis remediis, quæ sibi ad alios effectus competunt; nimirum, ut Judicium illud nullum esse constet, vel, ut Judicis iniquitas puniatur. Hic verò consensus nihil operari potest in causa matrimoniali ad impediendum examèn prioris iudicii: & ideo poterit prima sententia iterum examinari. *Covarr. c. l. num. 18. Sanch. cit. dif. 100. n. 1. in fine.*

LI. Notandum hic præterea primò. In istis sententiis, quæ non transeunt in rem iudicatam, potest probari iniustitia sententiæ, tam respectu meritorum causæ, quam respectu ordinis processûs, per acta causæ; quamvis transierit decedendum à tempore sententiæ. *Abb. in cit. c. Lator; n. 5. h. t. & ibid. Alex. de Nevo n. 4.* Imò potest etiam Judex ex officio, invitâ parte, procedere ad retractandam huiusmodi sententiam, postquam de errore commissio ipsi constiterit; ut constat ex c. *Pæna*; 3. in fine de divort. ibi: *Tui officii interest, matrimonia illa, adhibita gravitate, dissolvere, que illicitè contracta noscuntur*: idque etiam præcipitur in cit. c. *Lator*; quia ad Judicem pertinet, peccata tollere: at valde grave peccatum est, si illegitimè conjuncti perseverant in matrimonio, vel legitimè conjuncti separantur. *Sanch. cit. dif. 100. n. 3.*

Notandum secundò. Quando dicitur, sententiam in causa matrimonii latam, à qua non est appellatum, non transire in rem iudicatam, id ita intelligendum est, quòd, etsi appellatum non sit, potest tamen per viam simplicis querelæ causa deferri ad Superiorem; quamvis acquirat auctoritatem rei iudicatæ; ut per viam appellationis retractari nequeat: hic autem Judex, qui per viam querelæ adiri potest, est ille, qui primam sententiam tulit. Item S. Pontifex, vel eius Legatus; non autem Archiepiscopus, respectu subditorum Suffraganei, qui inter eos solùm est Judex in causa appellationis, & non, si adeatur per viam querelæ. c. *1. de offic. leg. c. Pastoralis*; 11. in princ. de offic. jud. ordin. *Abb. in cit. c. Lator*; n. 10. *Alex. de Nevo ibid. n. 10. & Felin. n. 4. Sanch. c. l. n. 9. & 10.*

Notandum tertio. Quamvis sententia in causa matrimoniali non transeat in rem iudicatam, præsumitur tamen pro sententiâ, & iustitia processûs, quando ab ea intra legitimum tempus non est appellatum, donec de eiusdem iniustitia constiterit: quare alleganti eius iniustitiam incumbit onus probandi, neque passim, & indifferenter admitti debet eam impugnare volens, sed allegare oportet aliquam verisimilem iniustitiam causam, quæ merito Judicem moveat ad id credendum, ne in infinitum pars contraveniens, & impugnare volens audienda sit; idèque præmittenda est summaria cognitio à Judice; ut inquiratur, an iusta adit causa impugnandi sententiam; quamvis aliàs certa regula tradi non possit, quoties sit admittendus, sed id arbitrio Judicis committitur, spectatâ causâ, quæ coram eo allegatur. *Abb. in cit. c. Lator*; n. 3. & 11. & *Alex. de Nevo n. 11. Sanch. c. l. n. 5. & duobus seqq.* Opus est autem, ut condemnatus instituat novam querelam, novumque libellum offerat; ut sententia lata rescindatur, in quo petat, eam causam matrimoniam jam semel definitam, iterum ad Judicium deduci, & sententiam revocari, ob errorem detectum: nam quoad instantiam causæ transit in rem iudicatam; ut constat ex c. *Ex literis*; 4. in fine de in integr. restitut. ibi: *Et ad audientiam re-*

stituimus eam pro matrimonio postulantem: ubi non dicitur textus: contra sententiam eam restituimus; quia quantum ad rei veritatem, nunquam transit in rem iudicatam: sed ait: ad audientiam restituimus: id est, ut perinde audiatur, sicut poterat audiri, ante latam sententiam. *Abb. in cit. c. Lator*; n. 12. & *ibid. Alex. de Nevo n. 12. Felin. n. 8. Sanch. c. l. n. 8.* Sin autem à sententia appellatum sit, tunc appellatio elidit præsumptionem, quæ est pro lata sententia, eò quòd appellatio vim sententiæ debilitet; ut notat *Alex. de Nevo c. l. n. 3.*

LII. Notandum quartò. Etsi sententia in causa matrimonii non transeat in rem iudicatam, quoad ipsum matrimonium, transit tamen quoad expensas litis, ad quas succumbens condemnatus fuit per eam sententiam, à qua non est appellatum; nec enim ex ipsi restituuntur, etiamsi postea impugnet sententiam, & ostendat, errorem in ea commissum esse: nam in condemnatione ad expensas cessat ratio, ob quam sententia matrimonii non transit in rem iudicatam, ne videlicet foveatur peccatum, dum sustinetur matrimonium irritum, vel dissolvitur validum: & ideo sequitur talis sententia quoad hoc naturam, & conditionem aliarum sententiarum, quæ transeunt in rem iudicatam. *Felin. in cit. c. Lator*; n. 10. h. t. *Sanch. c. l. n. 11.*

Notandum quintò. Sententia lata pro favore matrimonii transit in rem iudicatam, quando novo consensu utriusque partis matrimonium potest subsistere. Ut si v. g. ortâ controversiâ, an aliquod fuerit legitimum matrimonium, eò quòd alter conjux allegavit merum, vel conditionem servitutis alterius conjugis, quam ignoravit: si postea contra allegantem merum, vel ignorantiam servitutis, per sententiam pronunciat, validum fuisse matrimonium, & victus non appellavit, intra legitimum tempus, transit sententia in rem iudicatam, ita, ut amplius ex ea causa retractari non possit; quia ex eius observantia nullum nutritur peccatum, & possunt partes denuo consentire; & est præsumptio juris, & de jure, contra quam nulla probatio admittitur, partem victam, quæ à sententia non appellavit, de novo consensisse in matrimonium; quod potuit, & debuit facere, vel appellare. *Gl. fin. in cit. c. Lator*, & *Abb. ibid. num. 9. & Alex. n. 7. Covarr. cit. §. 12. n. 19. Vers. tertio. Sanch. c. l. n. 13.* Ex quo inferitur, si per sententiam pronunciatum sit, esse inter aliquos legitimum matrimonium contractum, cum tamen solum sponsalia de futuro sint celebrata; sententia, si ab ipsa non fuit appellatum, transit in rem iudicatam; quia illud vitium sententiæ per partes contrahentes remitti potest: sicut enim de novo possunt matrimonium contrahere, ita acquiescendo sententiæ censentur de novo contraxisse. *Felin. in cit. c. Lator*; n. 2. Similiter, si per sententiam pronunciatum sit, inter aliquos dissoluta esse sponsalia de futuro, ob probatum aliquod impedimentum, à qua non est appellatum, ea transit in rem iudicatam; quia, cum partes possint sponsalia mutuo consensu dissolvere sine peccato, possunt etiam sibi quoad hoc præjudicare, non appellando. Aliud est, si sententia lata sit in favorem sponsalium, declarando, illa esse valida, quando impedimentum dirimens matrimonium est allegatum, sed non probatum: ea enim non potest transire in rem iudicatam; quia

quia foveretur peccatum, si partes, vi illorum sponsalium, compellerentur ad matrimonium invalidum contrahendum. *Abb. in c. Juravit; 6. de probat. Sanch. c. l. n. 13.* Quare universim loquendo, non est verum, quod sententia lata in favorem matrimonii transeat in rem judicatam; sed solum tunc, quando is, qui impugnat matrimonium, non allegat impedimentum dirimens: tunc enim possunt partes de novo consentire in matrimonium, sine peccato: si vero impedimentum dirimens allegetur; tunc, quamvis in favorem matrimonii lata sit sententia, declarando, illud esse validum, non potest transire in rem judicatam; quia foveretur peccatum, si etiam post elapsum appellationis terminum, constaret de impedimento dirimente: non tamen liceret reclamare, sed cogentur conjuncti permanere, qui legitimi conjuges non sunt: & quia, sicut est favor matrimonii, illud, si legitimum, & validum sit, confirmare; ita & illegitimum, seu invalidum dissolvere. *Felin. in cit. c. Lator; n. 3. Sanch. c. l. n. 14.*

Notandum sextò. Quamvis sententia lata in causa matrimoniali non transeat in rem judicatam, respectu conjugum contrahentium; transit tamen respectu tertii, qui impugnat matrimonium, ita, ut, si opposuit impedimentum, & in eo probando succubuit, sententia contra ipsum lata, à qua intra tempus legitimum non appellavit, transeat in rem judicatam, ita, ut deinceps non admittatur ad impedimentum proponendum. *Felin. in cit. c. Lator; n. 14. Sanch. c. l. n. 12.*

LIII. Assertio secunda. Tametsi sententia in causa matrimoniali in rem judicatam, quoad vinculum matrimonii contrahendum, vel dissolvendum, non transit; ut ex dictis patet: transit tamen sententia divortii, per quam non quidem matrimonium dissolvitur, quoad vinculum, sed solum quoad obligationem tori, & cohabitationis conjugum, in rem judicatam; quia tunc nullum peccatum foveretur: nam, cum matrimonii vinculum maneat, neuter potest aliud matrimonium contrahere, & neuter cogitur accedere ad non suam, vel non suum; adeoque possunt conjuges, sine peccato, communi consensu esse separati. Neque verò sententia divortii ascribendum est, si forte ex separatione anam fornicationis sumat alter conjugum, vel etiam uterque; sed potius culpæ conjugis fornicantis: ac proinde privilegium concessam matrimonio (ut sententia lata, ad illud contrahendum, vel dissolvendum, non transeat in rem judicatam, ad sententiam divortii, quoad torum, & cohabitationem) non est extendendum. Nec refert, quod conjux innocens semper possit agere ad adulteri conjugis etiam invitæ reconciliationem: nam id provenit, non ex eo, quod sententia divortii transeat in rem judicatam; sed quia conjugi innocenti semper est liberum, ac licitum remittere injuriam sibi irrogatam, ac ita sibi reconciliare adulterum; prout docet *Abb. in cit. c. Lator; n. 12. Alex. ibid. n. 12.*

Verùm rectius dicitur cum *Felino ibid. n. 9. Sanch. lib. 10. de matr. dis. 9. n. 4.* sententiam divortii non transire in rem judicatam, quoad ea, quæ sunt in favorem conjugis adulteri: bene tamen quoad ea, quæ in odium illius, & in favorem innocentis cedunt: ac proinde conjugem nocentem, post termi-

num appellationis elapsam, si velit allegare, injustum fuisse sententiam divortii, & reconciliationem petendum esse; ac innocentem semper admittendum esse, si agat ad reconciliationem adulteri, neque huic competere exceptionem rei judicatæ contra innocentem. Ratio est; quia, cum sententia divortii feratur in favorem innocentis conjugis, ad eius instantiam, ac in odium adulteri, cui Ecclesia nullo modo vult favere; ideo æquitas postulat, ut in favorem Rei, seu nocentis, & damnum innocentis transeat in rem judicatam: nam, ut dicitur in *l. Excedent; 16. ff. De except. rei judic.* iniquissimum est proficere rei judicatæ exceptionem ei, contra quem judicatum est. Deinde, si sententia divortii transeat in rem judicatam, etiam respectu conjugis nocentis, & in illius favorem; tunc, quamvis conjux innocens possit injuriam adulteri condonare, itaque reconciliare sibi adulterum volentem: non tamen possit coram Judice agere ad ipsius etiam invitæ reconciliationem; quia agenti obstat exceptio rei judicatæ, & hac ratione foveretur peccatum; quia daretur conjugi ansa fornicandi; ut, dum alter divortium petit, ipse nocens liberetur ab obligatione matrimonii. Neque refert, quod, postquam conjux adulter mutavit statum, v. g. profitendo in religione approbata, vel suscipiendo Ordinem sacrum, non possit innocens agere ad reconciliationem conjugis adulteri: nam, etiam tunc non amplius audiatur, id tamen licet, non quod sententia divortii transeat in rem judicatam, in favorem adulteri, sed potius ob necessitatem conjugis non petentis reconciliationem tempore debito. *Sanch. c. l.*

LIV. Porro assertio, & doctrina supra tractata, quod in causa matrimoniali sententia non transeat in rem judicatam, probatur etiam, & colligitur ex *Tenor; 10. h. 1.* quod in effectu idem dicit, quod *Lator; 7. eod. ut tradit Gl. hic in princ.* Nam, cum inter virum quendam, & mulierem controversia verteretur super matrimonio, num inter eos contractum fuerit, ea commissa fuit Episcopo Theatino à Sede Apostolica, qui virum à mulieris petitione, dum illa absens esset, absolvit. Hoc, cum intellexisset mulier, impetravit à Pontifice litteras ad alium Judicem delegatum, qui causam hanc cognosceret, ac definiret. Iste Judex citavit virum, qui infirmitatem prætextans non comparuit, sed nocte insequente aliam mulierem sibi matrimonio copulavit; ideoque Judex delegatus sententiam excommunicationis in eum promulgavit; postea veniens comparens coram eodem Judice, ab ipso absolutionem ab excommunicatione obtinuit, cui etiam exhibuit litteras Episcopi Theatini, ex quibus patebat, ipsum virum ab impetitione mulieris petentem sententiam fuisse absolutum. Sed quia mulier offerbat se ad probandum per testes, quod dicitur, seu desponsasset, dubitabat Judex delegatus, quid sibi faciendum esset? Respondit Clemens III. quod, non obstante illicita absolutione, quam Episcopus fecit, in causa procedere, & viro sub pena excommunicationis severe interdiceri debeat, ne ad eam mulierem, quam superinduxit (sive in uxorem, post primam, sibi copulavit) accedat, priusquam causa decisa fuerit.

L V. Notandum primò. Licet aliàs gravis infirmitas corporis sit iusta causa absentiae excusans à contumacia citatum, l. *Questum*; 60. ff. *De iudic.* tamen in casu huius c. fuit falsò allegata; ut apparebat ex actu mox subsequente verisimiliter incompatibili cum infirmitate; quia nocte sequente citatus contraxerat matrimonium cum alia. *Gl. hic V. Infirmitate*; & *Abb. n. 2. C. 3.*

Notandum secundò. Olim per subarrhationem publicè factam inducebatur praesumptio, quòd matrimonium de praesenti sit contractum, donec probetur contrarium; ut tradit *Gl. in c. ult. V. Subarrhavit*; de *despons. impub.* Nihil enim interest, factò, vel verbo quis declaret voluntatem suam. *Arg. l. 5. ff. Rem; rat. hab. Gl. hic V. Subarrhasset*; & *Abb. n. 5.* Imò etiam hodie, si in praesentia Parochi, & testium praecedat tractatus de matrimonio per verba de praesenti contrahendo, & mox subsequatur annulli traditio, & acceptatio, censetur matrimonium contractum, vel sponsalia, si duntaxat praecessit tractatus sponsaliorum de futuro; ut docet *Sanch. lib. 1. de matr. dis. 22. n. 3. C. 6.*

Notandum tertio. Vel mulier in casu huius c. citata ad Episcopum Theatinum contumaciter abfuit; & tunc in causa ista matrimonii, quae non transit in rem iudicatam, iterum audiri debet, ob privilegium causae, saltem, si asserat iusta causa, ob quam nova instantia Iudicii inchoari, & probationes admitti debeant: vel mulier non fuit contumax, & tunc sententia Iudicis fuit nulla, quippe lata contra absentem non contumacem; ideòque audiri debuit. *Abb. hic n. 6.*

Notandum quartò. Licet in casu huius c. causa finita fuerit per sententiam, à qua non fuit appellatum; tamen prohibetur viro, ne accedat ad alteram mulierem, quam super induxit, donec causa decisa fuerit; adeòque, dum lis adhuc pendet; quia, cum vir citatus fuerit, antequam secundam mulierem sibi copularet; ideo censetur lis adhuc pendere, non obstante sententià latà ad Episcopum Theatino, per quam vir fuit absolutus à petitione primae mulieris; non enim illa hoc casu transit in rem iudicatam, quo minus adhuc in causa prioris matrimonii procedi possit. *Gl. fin. hic in addit. & Hostiens. hic in fine.*

LVI. Denique quòd sententia lata in causa matrimoniali non transeat in rem iudicatam, probari etiam potest ex c. *Consanguinei*; 11. h. t. Nam, cum vir quidam, & mulier matrimonium inter se contraxissent, postea consanguinei eiusdem mulieris illud accusarunt, & per testes legitime probarunt (quoad ordinem juris, etsi forte non quoad veritatem. *Gl. hic V. Legitimè*) impedimentum paternitatis inter virum, & mulierem illam intercedere; ideòque sententia divortii (sive separationis propter impedimentum dirimens) in eosdem lata fuit: postquam mulier confessa fuit Episcopo loci (in Iudicio) quòd ante sententiam divortii latam revera commater viri non fuerit, quamvis post separationem compaternitatem cum eodem contraxerit, & postea ad secundas nuptias transierit. Ad hunc casum responderet Papa Clemens III. propter solam mulieris confessionem, non esse recedendum à sententia per Iudicium Ecclesiae ratiòabiliter (quoad ordinem juris. *Gl. hic V. eod. vide-*

licet secundum allegata, & probata) promulgata, donec per legitimas contrarias probationes prior sententia falsa demonstretur.

LVII. Notandum primò. Matrimonium, quod antea per rationabile, & legitimum Iudicium Ecclesiae, nempe secundum leges, & Canones, & allegata, ac probata, separatim fuit, ob impedimentum dirimens ortum inter contrahentes, non redintegratur propter solam confessionem, aut dictum unius, vel etiam utriusque partis, nullum inter ipsos intercedere impedimentum: sicut nec separatur matrimonium, quod antea in facie Ecclesiae, & cum eiusdem approbatione contractum fuit, ob confessionem, aut dictum unius, vel alterius conjugis asserentis intercedere impedimentum, iuxta c. *Super eo*; 5. de eo, qui cognov. consang. & c. & notat *Gl. fin. hic.* Ratio est; quia, si contra talem sententiam crederetur illis, inter quos ea prolata est, facile possent simul colludere, & fingere, nullum inter se esse canonicum impedimentum; unde fieri posset, ut tales copularentur cum peccato, qui legitimi conjuges non sunt; vel, ut separarentur ab invicem, qui legitimi conjuges sunt. Quare in casu huius c. standum est huiusmodi sententià divortii, quae rite lata est, secundum allegata, & probata, ad dissolvendum, matrimonium; quia pro illa stat praesumptio juris, quòd iusta sit, donec contrarium probetur: contra ipsos verò contrahentes est praesumptio, & timor collusionis. *Covarr. p. 1. de sponsal. c. 4. §. 1. n. 4. Barba. hic in Collect. n. 6.* Quod si postea per legitimos, & idoneos testes, vel alias probationes ostensum fuerit, nullum impedimentum dirimens inter contrahentes esse; adeòque eos esse legitimos conjuges, tunc prior sententia divortii retractanda est, & ipsi debent conjuncti permanere; quia, quando de veritate constat, ea prevalere debet praesumptioni, quae erat pro illa sententia; ut patet ex hoc c. & notat *Vivian. in Rat. Jur. Pont. hic.*

Notandum secundò. Sententia lata in causa matrimoniali ad dissolvendum matrimonium, propter impedimentum dirimens, non transit in rem iudicatam, quin postea retractari possit, quandoque compertum fuerit, ipsam per errorem esse latam; ut patet ex hoc c. & tradit *Gl. hic in notat.*

Notandum tertio. Non tantum consanguinei accusare possunt matrimonium, ob impedimentum dirimens cognationis spiritualis. c. *Videtur*; 2. qui *matrim. acc. poss.* & constat ex hoc c. sed etiam quilibet de populo. *Abb. hic not. 1.* Porro olim compaternitas erat inter parentes baptizati, & baptizantem, & paternos baptisimi; & haec cognatio transfundebatur à viro in uxorem. c. *Marius*; 5. de *cogn. spir. ita*, ut eo ipso, quòd vir baptizaret, vel esset patrinus, uxor contraheret eandem cognationis spiritualis speciem, eò quòd sit una caro cum viro. *Sanch. lib. 7. de matr. dis. 54. n. 9.* & de hac compaternitate fit mentio in hoc c. quae tamen per *Concil. Trident. sess. 24. de ref. matr. c. 2.* partim restricta est, partim omnino sublata, de quo suo loco.

Notandum quartò. Si conjuges sint separati ab invicem, per Iudicium, seu sententiam Ecclesiae; quia per testes probatum fuit, impedimentum dirimens inter eos intercedere; sed postea contrarium dicatur, videlicet errorem commissum fuisse, nullumque impedimentum

pedimentum inrecedere; ideoque petatur, ut alia Judicii instantia inchoetur; tum in ea non priores, qui falsum testimonium tulerunt, sed alii testes ad id probandum producendi sunt; quia contra priores excipietur, quod tanquam perjuri inhabiles sint ad ferendum testimonium, juxta c. Sicut 9. de testib. & tradit. Gl. fin. hic, & Abb. n. 4.

S. IV.

De aliis nonnullis casibus, in quibus sententia non transit in rem judicatam.

LVIII. Assertio prima. Sententia censuræ; ut excommunicationis, suspensionis, & interdicti, etiam post elapsum decennium ad appellandum jure concessum, non transit in rem judicatam, quò minus excommunicatus v. g. quandoque petere possit absolutionem, & per simplicem querelam de injusta excommunicatione conqueri, quamvis non audiat per viam appellationis; ut tradit. Gl. in c. Ad reprimendum 3. 8. V. Suspendatur de offic. jud. ord. Abb. in c. Consanguinei; 11. n. 9. h. t. Alex. de Nevo ibid. n. 15. & seqq. idque sumitur ex c. Cum contingat; 36. de offic. jud. deleg. c. fin. de penis. c. Sacro; 48. de sent. excom. ex quibus constat, quòd petens absolutionem, & probare volens, sententiam esse injustam, semper auditur. Ratio est; quia in his sententiis censurarum eadem militat ratio, quæ in sententia lata in causa matrimoniali; adeoque etiam locum habet eadem juris dispositio. Similiter, si semel per sententiam fuit pronunciatum, aliquem non esse ligatum excommunicatione, potest etiam post decennium adhuc probari esse ligatum; quia pronunciatio Judicis, quòd quis non sit excommunicatus, non mutat rei veritatem, si verè sit excommunicatus. Verum tamen post terminum appellationis elapsum, præsumitur pro justitia excommunicationis, ita, ut excommunicato incumbat onus probandi, quòd sit injusta. Abb. c. l. n. 10.

LIX. Assertio secunda. Sententia lata in causa beneficii, à qua intra X. dies non est appellatum, non transit in rem judicatam, in præjudicium Ecclesiæ, vel in præjudicium animæ, si periculum peccati immineat. Arg. c. Lator; 7. h. t. Quare, si quis non canonicè, & legitime promotus sit ad Prælaturam, vel beneficium, vel intrusus; potest quis, etiam post X. dies, eum denunciare Judici, vel proponere querelam ad impediendum peccatum, & Ecclesiæ damnum; ut colligitur ex c. Constitutis; 46. in fine de appellat. Quin imò etiam Judex potest ex officio in tali casu, si à sententia non sit appellatum intra X. dies, inquirere de titulo legitimo, & procedere contra non canonicè electum, vel institutum, ut à Prælaturo, vel beneficio amoveatur. Abb. in c. Cum dilectus; 32. de elect. n. 5. & Laym. ibid. num. 2. Verum tamen sententia lata in causa beneficii per lapsum decennii transit in rem judicatam, in proprium præjudicium beneficiati contradicentis, ita, ut postea opponere volens non sit audiendus, c. Quod ad consulationem; 15. h. t. & habetur in cit. c. Cum di-

lectus in fine, ubi Abb. ait, quod in præjudicium Beneficiati transeat sententia in rem judicatam, quia ipse, sine peccato, potest non contradicere, seu se opponere, cum sponte veniat ad opponendum. Unde, cum semel acquieverit sententiæ, non appellando, non potest amplius contradicere. Marant. de Ord. judic. p. 6. in Actu 1. de sententia n. 150. ubi ait, quod sententia lata in causa beneficii Ecclesiastici non transit in rem judicatam, in præjudicium superioris; sed bene transit in præjudicium ipsarum partium.

LX. Assertio tertia. Sententia lata ex falsis instrumentis, vel testimoniis, five ab ea appellatum sit, five non, non transit in rem judicatam, quia retractanda sit; ut habetur in l. Falsam; 3. juris. Gl. Testationem. C. Si ex fals. instrum. & c. Sicut; 2. de testib. requiritur tamen, ut probetur, non falsum instrumenta esse falsa, vel testes falsum fecisse, sed etiam Judicem eorum fidem secutum esse, & eorum attestationibus sententiam tulisse, cit. l. Falsam; 3. Idque sumitur etiam ex c. Cum l. & A; 22. h. t. Nam, cum duo Canonici S. Dionysii Ecclesiæ Romanensis, ex voluntate, & jussu aliorum Canoniorum Regularium, Abbatem suum (qui alias appellatur Prior, ut notat Abb. hic not. 1. nunc veni communitè Præpositus dicitur; ut constat ex Reg. S. Augustini) S. Pontifici denunciassent super bonorum dilapidatione, perjurio, Simonia, & quibusdam aliis criminibus, de quibus infamatus erat; ideo Papa Innocentius III. Episcopo Cantuariensi, & aliis à se delegatis Judicibus mandavit, ut ad Ecclesiam illam personaliter accedentes, tum in capite, quàm in membris, corrigenda corrigèrent, & statuenda statuerent: Judices igitur illi, post recepta Abbatis, & Canonicorum juramenta, Abbatem ab administratione ejusdem Ecclesiæ per sententiam removerunt, dilatà tamen correctione membrorum, quam tunc perficere non poterant: à qua sententia procurator Abbatis appellavit ad Papam, petens, ut ea rescindatur; tum quia lite non contestatà, Judices in causa procederunt; tum quia juramenta conspiratorum contra ipsam receperunt, & non publicatis coram partibus testium depositionibus, nec ostentis, ad sententiam ferendam processerunt. His intellectis, respondit Innocentius III. Si Judices (qui postea delegati sunt) cognoverint, quòd & Abbas probare volebat, conspiratores fuisse, quorum juramenta sunt recepta, eorumque testimonia priores Judices in ferenda sententia solum secutos fuisse; quia aliorum testimonia producta non erant tunc irritantes illorum processum, ipsi secundam formam in prioribus litteris contentam, procedant. Si verò testes productos conspiratores fuisse, probatum non fuerit; vel, licet conspiratores fuerint, appareat tamen, nihil illos deposuisse super iis causis, ob quas Abbas depositus fuit; vel denique, etiamsi aliqua deposuerint contra Abbatem, quæ tamen etiam per aliorum testimonium absque conspiratorum depositionibus, sufficienter probata sint, tunc Judicem priorum processum confirmet; quia, quamvis conspiratores contra Abbatem admitti non deberint; juramenta tamen ipsorum de veritate dicenda super statu Do-

mas, seu Collegij eius, recipi potuerunt, ut ex eorum dictis alia cognoscerentur, quæ ad Abbatem non pertinebant, præsertim, cum eo tempore nondum probatum fuerit, eos conspiratores fuisse.

LXI. Pro explicatione huius c. Notandum primò. Si Abbas, seu Prælati Regularis (idem est de seculari) accusetur, vel denunciatur de criminibus scandalosis, etiam à propriis subditis, vel solum de illis sit infamatus; tum debet institui inquisitio, non solum super Capite, seu Prælato, sed etiam super membris, seu Conventu; ut patet ex hoc c. in quo solus Abbas erat denunciatus, & infamatus de criminibus, & tamen Papa mandavit, ut fieret inquisitio, etiam in membris, sive Canonicis; exacto tamen juramento ab illis de veritate dicenda, juxta c. Olim; 26. de accusat. quod maxime procedit, si sint talia crimina, quæ sine locis committi non solent. Ratio est; quia, cum caput est dolens, etiam alia membra corporis languent, & qualis est Sacerdos, talis & populus: & qualis est Rector civitatis, tales & habitantes in ea. Alex. de Nevo hic n. 8. not. 4.

Notandum secundò. Si Judex ex officio procedat, per modum inquisitionis generalis, non requiritur litis contestatio; ut colligitur ex hoc c. & notat Gl. marg. hic lit. C. quia tunc non est accusator, aut actor, cum quo litis contestatio fiat. In speciali verò inquisitione vocatur is, contra quem inquiritur, qui, si crimen neget, de quo est infamatus, censetur hoc ipso litis contestatio esse facta: si verò contumaciter abstinet, procedi potest contra ipsum ad testium receptionem. c. ult. §. Sunt & alij; junct. Gl. V. Inquisitio, ut lite non contest. Gl. margin. cit. hic. Abb. n. 8.

Notandum tertio. Si Judex ex depositionibus testium inhabilium non sit motus ad condemnandum Reum; quia nihil deposuerunt super ijs causis, ob quas Reus condemnatus fuit, vel, quia etiam, absque eorum depositionibus, crimen sufficienter ostensum fuit per alios testes, vel probationes, ex quibus sententia justè ferri potuit; tum processus valet, & sententia lata confirmanda est; quia per testium habiliū depositiones sustineri potest; prout sumitur ex hoc c. & ratio est, quia utile per inutile non debet vitari, juxta Reg. jur. 36. in 6. Abb. hic n. 6. Ex quo infert Gl. hic V. Secuti; quòd non sufficiat ad infirmandum processum, & sententiam, probare conspurationem, seu conjurationem, vel falsitatem testium, aut instrumentorum, nisi etiam probetur, Judicem ex falsis attestationibus, vel instrumentis sententiam tulisse.

Notandum quartò. Licet conspiratores adversus Prælatum, vel alium, contra quem conspirarunt, tanquam eius inimici, admitti non debeant ad testificandum; quia non Zelo justitiæ, sed fomite malitiæ moventur. Gl. hic V. Conspiratores: possunt tamen examinari, & ipsorum juramenta de veritate dicenda recipi super aliis personis, & rebus, quæ propriè ad Prælatum non pertinent; ut habetur in cit. c. Cum I. & A. in fine. Idque maxime locum habet, cum sit generalis inquisitio, aut cum agitur tantum ad correctionem, seu penitentiam, vel in defectum aliorum testium magis idoneorum, ita tamen, ut, si testes illi, qui examinantur, sint criminosi, non plenam fidem faciant, sed præsum-

Tonus II.

ptionem, & minor ipsis fides habenda sit. Gl. fin. hic. & Abb. n. 22. & 23. Alex. de Nevo n. 39.

LXII. Assertio 4. Si ex juramento necessario, quod in supplementum probationum à Judice parti defertur, lis fuerit decisa, idque ex repertis postea instrumentis probetur esse falsum; tum sententia lata non transit in rem judicatam, quin retractari possit, ac debeat, si per nova instrumenta constet de falsitate jurantis, l. Admonendi; 31. ff. de jurejur. & ibi Gl. in casu. Ratio est; quia ex juramento suppletorio probatio procedit de jure speciali; cum partem, cui defertur, faciat Judicem, & testem contra Jus commune. l. Nullus; 10. ff. de testib. instrumenta autem de novo reperta probant ex Jure communi, quod juri speciali est præferendum. Aliud est dicendum de juramento voluntario, à parte, scilicet parti delato, quod cum utriusque consensu litem definiat, l. i. C. de reb. cred. & consequenter habeat vim transactionis, l. Quod si; 21. ff. de dolo; quæ non retractatur, prætextu instrumenti post reperti, l. Sub prætextu; 19. C. de transact. ideo etiam comperit postea contrariâ veritate, robur retinebit; cit. l. Admonendi; in fine. junct. Gl. fin. Zas. in Comm. ff. de jurejur. n. 57. Maranta cit. acti 1. n. 141.

Porrò plures casus, in quibus sententia non transit in rem judicatam, recenset Marant. c. l. n. 128. & multis seqq. ubi n. 153. generaliter ait, omnem sententiam, quæ est ipso jure nulla, nunquam transit in rem judicatam, sed semper posse retractari, & agi de nullitate, l. Expressim; 19. C. de appell. & ibi Gl. marg. lit. C. id est, usque ad 30. annos, & non ultra, nisi vertatur periculum animæ. Marant. c. l. n. 154.

SECTIO III.

DE SENTENTIIS LATIS A pluribus Judicibus super eadem causa.

§. I.

Si plures Judices in aliqua causa diversas proferant sententias, quantum illarum valeat?

LXIII. Assertio 1. Si plures sint Judices, & omnes sunt præsentés, qui diversas sententias proferunt, tenet sententia plurium, sive majoris partis eorum, qui consentiunt; ut tradit Gl. in c. fin. V. Proferentibus; h. r. & sumitur ex c. 1. & 2. dist. 65. & l. Duo; 39. ff. de re judic. ubi id statuitur de pluribus judicibus delegatis, & Gl. ibid. V. Ex tribus judicibus; idem ait esse in ordinariis, si cæperint cognoscere; sicut & in arbitris. l. Item, si unus; 17. §. fin. & l. seq. & l. Diem; 27. §. Si plures; ff. de recept. arbit. Hoc autem procedit, si omnes sint præsentés: nam uno ex delegatis Judicibus absente, alter, vel alij sententiam ferre non possunt; imò sententia nulla est, si feratur; quia omnes judicare jussi sunt, c. Casam; 16. de offic. jud. deleg. & Gl. ibid. A a a V. Unius;

V. Unius; cit. l. Si duo; ff. de re judic. Gl. in cit. c. ult. *V. Proferentibus*; h. t.

LXIV. Limitatur autem prædicta assertio 1. quod non possit Sacerdos (ob crimen) deponi, nisi ex justa causa, & nisi Episcopi congregati, adversus eum concordēs (id est, nemine discrepante) sententiam ferant; prout statuit Gregorius I. in c. Non potest; 3. h. t. & tradit Abb. ibid. n. 16. contra Gl. ibid. *V. Sacerdotum*; quæ putat, sufficere, quod maior pars Episcoporum concordet in unam sententiam: ubi tamen excipit causam criminalem Episcopi, in qua sententia non valet, nisi omnes sint concordēs, c. Si quis Episcopus; 5. caus. 6. q. 4. Id autem procedit secundum antiquos Canones, juxta quos causa criminalis, quæ depositionem à gradu Sacerdotali, vel Clericali merebatur, cognosci non debuit adversus Sacerdotem, vel Clericum in Sacris constitutum, ac decidi, nisi in Synodo, seu Conventu Episcoporum, ita, ut XII. Episcoporum præsentia requireretur in causa Episcopi; sex in causa Presbyteri; trium in causa Diaconi. c. Si quis; 3. & duobus seqq. caus. 15. q. 6. similiter in c. 2. de pæn. in 6. statuitur, ut in verbali degradatione, seu depositione ab Ordinibus, vel gradibus Ecclesiasticis, si fuerit Presbyter, convocentur sex Episcopi; si Diaconus, tres: ubi Gl. *V. Canonibus*; ait, eodem jure censerī debere Subdiaconum, de quo non fit mentio in antiquis Canonibus; quia olim non erat Ordo sacer. Excipitur tamen causa, sive crimen hæresis, in quo ad condemnandum, ac degradandum Sacerdotem, vel alium Clericum in Sacris constitutum, loco Episcoporum, alios Prælatos, vel personas Ecclesiasticas, vel Religiosas suæ Diocesis literatas, seu peritas proprius Episcopus convocare potest; ut habetur in c. 1. de Hæret. in 6.

Quid autem circa hoc novo jure statutum sit, videri potest Conc. Trident. Sess. 13. c. 4. de reform. ubi tamen nulla fit mentio de depositione, seu degradatione Episcopi, sicut nec in c. 2. de pæn. in 6. quia secundum posteriores Canones, causæ Episcoporum criminales, ac depositione dignæ Sedi Romanæ Apostolicæ sunt reservatæ; ut notat Suar. dif. 30. de censur. sec. 1. n. 19.

LXV. Assertio secundò. Si causa decidenda sit communi consensu duorum Collegiorum, non sufficit, absolute loquendo, partem majorem Congregatorum consentire; sed necesse est, ut utrobique, sive utriusque Collegij pars maior conspiret; quia non ut personæ singulares, sed ut corpora, seu Universitates concurrunt; prout sumitur ex c. Pastoralis; 14. in princ. de rescript. v. g. si utrobique sint quinque congregati: universim verò 10. & ex una parte 4. ex altera duo consentiant, dici non potest, duo Collegia consensisse, sed opus est, ut ex utraque parte saltem tres consentiant in eandem sententiam. Abb. in cit. c. Pastoralis; n. 7. Laym. ibid. n. 9.

LXV. Assertio 2. Si duo Iudices diversas sententias proferant in aliqua causa, tum, si sint Iudices Ordinarij, valet sententia lata pro Reo, non pro Actore, nisi in causa favorabili, veluti matrimonij, libertatis, dotis, vel testamenti, pro ipso Actore sententia sit promulgata. Si verò sint Iudices delegati, tum utraque sententia pendet ex arbitrio delegantis: si denique sint arbitri compromissarij, neutra sententia habet vigorem; prout

statuit Papa Gregorius IX. in c. Duobus; 26. h. t. Hæc Constitutio Decretalis tres habet partes, quas nunc ordine explicabimus. Ad primam partem quod attinet, si duo, vel plures Iudices Ordinarij æquali numero discordent in ferenda sententia, & diversas sententias proferant, videlicet ex duobus unus, pro una parte; alter pro adversa parte, vel duo pro una, & duo pro altera, tunc valet sententia lata pro Reo, non pro Actore. cit. c. ult. & ibi Gl. *V. Proferentibus*. v. g. si duo Episcopi, aut duo Consules in civitate, qui ordinariam jurisdictionem in solidum obtinent, diversas sententias in aliqua causa ferant, præferenda est eius sententia, quæ lata est pro Reo. Ratio est; quia, cum Iudices Ordinarij singuli potestatem exercere jurisdictionem in solidum, & sufficientem judicandi potestatem habeant, ita, ut simul, & seorsim judicare possint, unus etiam absque altero, colligitur ex l. unic. ff. de offic. Consul. & ibi Gl. *V. Sim. junct. Gl. margin. lit. E. Gl. in c. Prudentiam*; 21. *Teneatur*; de offic. jud. deleg. & in c. *V. officium*; 117. *Separatim*; de hæret. in 6. utraque sententia per se valere deberet; sed, quia ambæ, propter eorum concordiam, subsistere non possunt, æquum est, ut proferatur sententia pro Reo, non pro Actore; quia favorabiliores potius Rei habentur, quam Actoris. l. 115. in ff. & promptiora sunt jura ad absolvendum, quam ad condemnandum, c. Ex litteris; 3. de probat. Abb. hic n. 9. Idemque dicendum est, si quatuor, vel sex Iudices parem potestatem in solidum habent sententiam dicant; duo, vel tres pro Actore; alij vero duo, vel tres pro Reo: horum enim sententia prævalebit. l. Lege Iunia; 24. ff. de mancip. Similiter, si probationes pro utraque parte sint pares, sententia absolutoria ferri debet, non pro Actore, sed pro Reo, cit. l. Lege Iunia. Aliud verò obtinet in ijs Iudicibus Ordinarijs, qui non habent jurisdictionem in solidum, ut, cum Episcopi in Concilio Provinciali pari numero in sententia ferenda discordant, vel Capitulares in Capitulis, quibus competit jurisdictio, non ut singulis, sed ut universis, sive quatenus universitas sunt: tum enim, quia jurisdictio ordinaria non est in singulis in solidum, sed penes ipsam universitatem; & statuitur sententiæ majoris partis, nisi minor aliquæ rationabile opponat in contrarium, Gl. in cit. c. *V. officium*; de hæret. in 6. Abb. hic n. 13.

LXVI. Excipiendum est ab assertione supra posita: nisi sententia in causa favorabili pro Actore lata sit: videlicet, si quis agat pro valore matrimonij, pro libertate, pro dote, pro valore testamenti, his enim casibus, si Iudices pari numero discordent, sententia lata in favorabili causa, licet contra Reum, & pro Actore, valet, & prævalet sententiæ pro Reo lata; prout habetur in cit. c. ult. Et de matrimonio extat etiam textus in c. Si quis; 3. junct. Gl. *V. Tempore*; 33. q. 1. & c. Continebatur; 6. de despons. impub. de libertate; in c. Ex litteris; 3. de probat. & Inter pares; 38. ff. de re judic. de dote. in c. Nuper; de donat. inter vir. & uxor. & c. Ex litteris; 5. de pignor. de testamento. in l. Si pars; 10. ff. de inoff. testam. Idque procedit non solum in sententijs, ut supra dictum, sed etiam, si probationes, sive testes in pari numero, & qualitate pro utraque parte fuerint producti, pronuntiandum est pro libertate, v. g. pro

ut expressè habetur in *cit. l. Lege Iunia*; ff. de manumission.

Prædicta autem exceptio non tantum locum habet in quatuor casibus allatis, sed etiam in aliis favorabilibus causis, quæ in *c. ult. h. t.* non sunt expressæ: nam quatuor illi casus solum afferuntur exempli loco; exempla autem non restringunt regulam. *Arg. c. 1. Ne Clerici, vel Monachi &c. & casus excepti à regula extenduntur ad alios casus similes. Arg. c. Cum dilecti; 4. de confirm. util. & tradit Abb. hic n. 17.* cuiusmodi est causa alimentorum, pro qua tanquam favorabili in dubio semper est iudicandum. *Barbof. in Collect. in cit. c. ult. n. 7.* Item causa filii, pro quo in dubio, etiam si Actor sit, ferenda est sententia, quando causa agitur cum persona non privilegiata. *Covarr. lib. 1. var. resol. c. 16. num. 3. & 4. Barb. cit. l.*

LXVII. Deveniendò nunc ad alteram partem. *cit. c. ult. h. t.* si duo Iudices delegati discordes sint, seu diversam sententiam ferant, unus pro Actore, alter pro Reo, vel etiam plures pari numero discordent; tunc superior, seu delegans ad eundem est, vel causa sufficienter instructa ad illum remitti debet. *Arg. c. Per hoc; 17. de hæret. in 6. ex cuius arbitrio utraque sententia pendet, donec unam earum, quæ ei iusta videbitur, confirmet; prout expressè habetur in l. Duo; 28. ff. de re iudic. ubi dicitur: Duo Iudices dati (id est, delegati. *Gl. ibid. V. Dati*) diversas, seu contrarias sententias dederunt: Modestinus respondit, utramque sententiam in pendenti esse (quia neutra interim obligat, neutra absolvit. *Gl. ibid. V. eod.*) donec competens Iudex (id est, qui eos delegavit, vel, qui ad hoc delegabitur. *Gl. ibid. V. Iudex*) unam earum confirmaverit, idque etiam tradit *Gl. in Auth. Ut Iudices non expectent; 5. Iubemus; V. Sententiam; Coll. 9.* Ratio est; quia plures Iudices delegati non habent jurisdictionem in solidum, saltem quoad usum, & exercitium, sed pro parte solum; quare unus sine altero procedere non potest, & sententia unius absque altero lata non tenet. *c. Causam; 16. de offic. Iudic. nisi in forma commissionis aliter expressum sit, juxta c. Cum plures; 8. eod. in 6. & delegati jurisdictionem, non suo, sed alieno nomine, & auctoritate exercent: ideòque sententia lata quoad valorem ab ipso pendet. *cit. l. Duo Iudices; ff. de re iudic. Abb. in cit. c. ult. n. 9.***

LXVIII. Ex dictis inferitur primò. Si duo, vel plures pari numero Officiales Collegæ ordinariam jurisdictionem habeant, & discordent; tunc valet sententia lata pro Reo, nisi causa sit favorabilis. *Abb. in cit. c. ult. n. 4.* sin autem sint delegati, tum in arbitrio delegantis est, utrum unam earum sententiarum approbare, vel utramque reprobare velit, & causam aliter definire: nec enim tenetur alterutram approbare; cum nulla sit lata ab habente jurisdictionem, eiusque exercitium in solidum. *Abb. c. l. num. 6.* ideòque etiam potest delegans tali casu causam aliis de novo cognoscendam committere; quandoquidem sententia ab uno delegatorum, sine altero lata irrita est. *c. pen. de offic. Iud. deleg.* In aliis verò rebus ordinandis, si duo domini alicuius Castri, vel Civitatis, vel, qui ordinariam jurisdictionem pro indiviso obtinent, inter se dissentiant; tunc ad officium Superioris pertinet providere, ut alterius temporibus v. g.

annis, potestatem exercent; ut tradit *Gl. in c. Licet; 5. V. Convent; 3. caus. 16. q. 3. Abb. c. l. n. 5.*

Inferitur secundò. Quod dictum est de pluribus Iudicibus ordinariis, idem quoque dicendum est de pluribus Iudicibus delegatis ad universitatem causarum, v. g. duobus Visitatoribus Diocesis, quòd mirum, si diversas sententias proferant, prævaleat sententia lata pro Reo, nisi sit causa favorabilis: nam & horum unus sine altero procedere potest; quia singuli actuale jurisdictionem in solidum habent, cum eorum iudicatio Ordinariæ æquiparetur; ut docet *Barthol. in l. Pomponius; 36. n. 3. ff. de re iudic. quamvis contrarium teneat Abb. in cit. c. ult. n. 18. & 19. de quo dictum supr. lib. 1. tit. 39. n. 46.*

LXIX. Denique in tertia parte *cit. c. ult. h. t.* dicitur: Si duo, vel plures pari numero Arbitri compromissarii in sententia discordent, seu diversas sententias proferant, nulla earum valet; prout etiam habetur in *l. Diem; 27. §. Si plures; ff. de recept. quòd arbitrium &c.* Ratio est; quia nullus eorum habet potestatem in solidum. *Abb. hic n. 7.* & quia eorum potestas dependet ex compromisso: cum ergo simul iudicare, seu cognoscere iussi sint; ideo separatim iudicando, invalide pronunciant. *Arg. c. Prudentiam; 21. de offic. Iud. deleg.* Excipe, nisi compromissum sit in plures, eà conditione adjecta, ut etiam unius sententiâ separatim latâ staretur, eaque valeret, juxta *l. Non distinguemus; 32. §. Cum in plures; ff. de recept. arbitr.* tunc enim quilibet seorsum sententiam, seu arbitrium proferre potest. *Alex. de Novo in cit. c. ult. n. 12.* Quod autem de Arbitris, idem etiam quoad hoc dicendum est de Arbitratoribus, si pari numero in sententia discordent; quia est eadem in utriusque ratio, & cum textus in *c. ult. h. t.* generaliter loquatur de ijs, qui habent potestatem ex compromisso; generaliter etiam debet intelligi; quia non apparet ratio illam restringendi. *Abb. in cit. c. ult. n. 7.*

S. II.

Vtrum ex pluribus Iudicibus, vel Arbitris omnes, vel saltem maior pars sententiam proferre debeat, an verò sufficiat, si unus eorum proferat?

LXX. De hoc agitur in *c. Cum ab uno; 4. h. t. in 6.* ubi ita statuitur. Si unus Iudicum, vel Arbitrorum, alijs præsentibus, & mandantibus, sententiam scriptam recitet, perinde censei debet, ac si simul ab omnibus Iudicibus, vel Arbitris recitata esset. Necessè tamen est, ut, qui sententiam recitat, non utatur verbis singularis numeri, sed pluralis: *Nos Iudices, nos Arbitri ita pronunciamus, seu statuiamus.* licet secus sit in electione Prælati, sive per compromissum, sive per scrutinium fiat: ea enim ab uno, vice omnium, numero singulari proferri debet, ut appareat, esse electionem unicam, & commnem toti Capitulo.

LXXI. Notandum primò. Licet sententia non possit proferri per alium, *c. ult. h. t. in 6.* potest tamen proferri per alium, qui sit de numero eorum Iudicum,

dicum, vel arbitrorum. *Ioan. And. hic in princ. & Franc. num. 1.* Et sic intelligi debet *text. in l. Item, si unus; 17. §. Item, si plures; ff. de recept. arbit.* Vbi dicitur, quod ex pluribus arbitris nemo unus, id est, solus debeat sententiam dicere, sed aut omnes, aut nullus; quia hoc ipso, quod unus profert sententiam ex mandato, vel consensu aliorum, omnes proferre censentur; non quidem per se ipsos, sed per illum, qui recitavit sententiam. *Gl. hic in casu. Arg. l. 1. C. de errore Advocat.* ubi dicitur, quod ea, quæ Advocati, partibus præsentibus, allegant, perinde habenda sint, ac si ab ipsis proferantur. Requiritur autem, ut sententia proferatur ex mandato, vel saltem consensu omnium Iudicum, vel arbitrorum: nam talis consensus, seu voluntas inducit mandatum, eique æquivalet. *l. 1. ff. Mandati:* sola autem taciturnitas non sufficit; quia hoc casu non habetur pro consensu, nec in sententijs habet locum rati habitio, sicut in alijs actibus. *Gl. hic V. Et mandantibus; & Franc. num. 2.* neque tamen etiam requiritur consensus omnium Iudicum, vel arbitrorum, sed sufficit majoris partis, videlicet, si duo ex tribus, vel tres ex quinque consentiant: statur enim sententiâ duorum, vel plurium, licet tertius, vel alij pauciores dissentiant. *l. Si duo; 39. ff. de re judic. Gl. in cit. l. Item, si unus; §. Item, si plures;* modò omnes interfint, qui simul iudicare iussi sunt. *l. Sicut; 18. ff. de recept. arbit.* nam in *cit. c. pen.* requiruntur duo, præsentia, & mandatum aliorum Iudicum. *Franc. ibid. num. 2.*

Norandum secundò. Præterea necessarium est, ut sententia ab uno Iudice, vel Arbitro in plurali numero proferatur; quia Verbum *Oportet* necessitatem importat; idque ideo, ut appareat, talem sententiam non esse prolatam ab uno tantum, & suâ Auctoritate, sed Auctoritate, & consensu omnium, vel saltem majoris partis. Excipitur, nisi Iudices Collegæ sint delegati Principis, quibus competit potestas subdelegandæ; tunc enim hi possunt uni ex Collegio vices suas committere in pronuntiando, & hic poterit in numero singulari proferre sententiam; quia eam duplici jure, seu titulo profert, & ut delegatus, & ut subdelegatus, sive is, qui subdelegavit, præsens sit, sive absens. *Gl. in cit. c. pen. V. Oportet; h. t. in 6. & ibid. Franc. num. 2.*

LXXII. Notandum tertio. Quod dictum est de sententiâ ab uno Iudice, vel arbitro ferendâ, loco aliorum omnium, per verba pluralis numeri, non habet locum in electionibus; ut expressè habetur in *cit. c. pen. in fine. h. t. in 6.* nam sive electio Prælati fiat per scrutinium, sive per compromissum, ab uno, vice Capituli, seu tanquam representante totum Capitulum, numero singulari promulgari debet, videlicet: *Ego meo, & aliorum mihi consentientium nomine eligo Titium,* ut appareat, unicam esse electionem, eamque communiter à toto Capitulo factam: nam, cum electio à Capitulo, seu Collegio fieri debeat, & nomine illius tanquam unius Corporis, quod saltem per majorem partem illius repræsentatur, juxta *l. Quod major; 19. ff. ad municip.* ideo ab uno fieri, ac promulgari debet, nomine eiusdem Capituli, seu Corporis, per verbum numeri singularis, idque ipsum verbis significari Canones voluerunt. *c. Sicut; 21. de elect. in 6.* At verò sententia à Iudicibus delegatis, & Arbitris profertur, non ut à Collegio, sed ut à singulis. *Arg. l.*

Duo; 39. ibi omnes iudicare iussi sunt; ideo ab uno nomine omnium, in numero plurali profertur etiam *Laym. in cit. c. Sicut; in fine. de elect. in 6.* Porro hæc Constitutio Decretalis non habet locum in collationibus, quæ ad plures spectant; non enim debet collatio fieri ab uno, & per verba singularis numeri; quæ cessat hoc casu ratio supra allata; non enim fit collatio pluribus, ut à Collegio, sed ut à singulis; ideo quæ in plurali numero faciendâ est. *Gl. hic V. Singulares;* nam jura loquentia de electione non habent locum in collatione, quando ratio diversitatis assignari potest. *Franc. in cit. c. pen. num. 4. in fine h. t. in 6.*

§. III.

An sententia lata à pluribus Iudicibus, quorum unus iuris dictione privatus est, veleam impediam habet, valeat?

LXXIII. Assertio 1. Si unus ex Iudicibus delegatis sit iurisdictione privatus, vel impeditus exercere, sententia ab isdem lata irrita est, quod omnes; prout sumitur ex *c. Ad probandum; 24. t. Nam,* cum vacante quodam Monasterio Monialium, duæ Abbatiæ in discordia electæ fuissent, Custos, & alia Monialis, Papa causam hanc quibusdam delegavit, eâ formâ, ut examinata iurisdictione electione, eam confirmarent, quæ Canonice, seu legitime facta censeretur. Iudices illi delegati electionem Custodis per sententiam definitivam approbârunt; à qua adversa pars, scilicet altera Monialis electa, appellavit, seu potius per viam nullitatis causam ad Apostolicam Sedem deduxit, asserens, quendam ex Iudicibus delegatis, temporè latae sententiæ, fuisse publicè excommunicatum; quare Innocentius III. causam hanc alijs quibusdam Iudicibus commisit, eis mandans, ut de valore sententiæ priorum Iudicum cognoscant, & si quidem intelligant, eam, vel ob excommunicationem publicam unius ex Iudicibus delegatis (proponit etiam Metropolitanus literis suis id testatus fuit, à quo dicitur excommunicatus. *Gl. hic V. Per Metropolitanum litteras*) vel ex alia iusta causa (v. g. quia ipsa Electa similiter foret excommunicata, vel per simoniam electa, vel insufficiens &c. *Gl. hic V. Ex alia*) esse invalidam, & infirmam, tunc eandem infirmam, & de Custodis electione iterum cognoscant: alioquin priorum Iudicum sententiam confirmant. Ratio decisionis est; quia Iudicibus delegatis exercitium iurisdictionis non competit singulari in solidum, sed pro parte solum, ut omnes simul procedant; quia omnes iudicium iussi sunt; ideoque ob defectum unius vitatur totum, quidquid omnes agunt, *c. pen. junct. Gl. Delegatorum; de offic. jud. deleg. Abb. hic num. 4. & 2.*

LXXIV. Id verò extenditur primò, ut procedat, etiam si plures Iudices dati sint, adiectâ conditione: quod, si non omnes, sive ut si unus nolit, vel non possit, alter solus, vel alij procedant sine illo: non

procedendo cum inhabili, v. g. publicè excommunicato, vel non valente iudicare, inficiunt propriam jurisdictionem: omnes enim voluerunt iudicare, quod non poterunt. *Abb. hic num. 4. Barb. in Collect. ibid. num. 4.* Extenditur secundò. Vt idem etiam locum habeat in Arbitris compromissarijs electis à partibus: nam, si unus illorum sit privatus jurisdictione; quia v. g. publicè est excommunicatus, sententia ab illis lata nullius est momenti; quia Arbitria ad instar Iudiciorum sunt redacta. *l. i. ff. de recept. arbit. Abb. hic num. 2. Barb. c. l. num. 5. qui num. 6. addit, id procedere, non tantum in sententia definitiva, sed etiam interlocutoria.*

LXXV. Limitatur autem, ut non procedat in duobus, aut pluribus Iudicibus ordinarijs, quorum si unus v. g. sit publicè excommunicatus, alter non, sententia, prout procedit à non excommunicato, valet; quia hi in solidum singuli actualem jurisdictionem habent. *Barb. c. l. n. 4. ubi addit: Si Iudices non excommunicati scienter admittant excommunicatum, irrita est tota sententia: secus, si ignoranter admittant; tunc enim sustinetur sententia auctoritate illorum, qui non sunt excommunicati. Deinde sententia lata ab excommunicato occulto valet; ut à sensu contrario colligitur ex cit. c. Ad probandum; ibi: Publicè innodatus; & docet *Gl. ibid. V. Innodatus, & Abb. num. 2.* quia talis non est necessariò vitandus, si sit Iudex ordinarius, si delegatus. *Barb. hic num. 8.* Illud præterea colligitur ex hoc c. quòd casu confirmatio, ob defectum confirmantis; quia v. g. publicè excommunicatus fuit, vel ob non servatum iudiciorum ordinem; non ideo irrita est electio, sed firma manet. *c. Si confirmationem; 39. de elect. in 6. contra verò, si invalida sit electio, non potest valere confirmatio; quia, quod non est, confirmari non potest. Abb. hic num. 7. & patet ex alibi dictis.**

LXXVI. Assertio 2. Si sententia irrita sit, v. g. propter unius Iudicis publicam excommunicationem; tum, si causa irritandi sententiam afficiat etiam processum, siue omnia acta præcedentia Iudicij, etiam ista sunt irrita; adeoque totus processus, ut in casu cit. *c. Ad probandum;* ubi præcipitur, ut instituat de novo cognitio super electione; quia fortè unus Iudicum fuit publicè excommunicatus, toto tempore Iudicij; ideoque meritò denuò inquiri debet super toto negotio. Quòd si vitium sententiæ afficiat solum partem actorum; tunc hæc solum erunt irrita, non illa, quæ vitiosa non sunt: si verò causa irritandi sententiam, seu vitium nullitatis non afficiat acta, sed sententiam duntaxat; tunc acta manent valida, & in suo robore, ut, si v. g. Iudex, post acta, seu processum, ante latam sententiam, sit excommunicatus, vel, si sententia lata fuit die festo; prout notat *Barb. in l. Expressim; 19. num. 1. ff. de appell. Abb. hic num. 6.*

LXXVII. Ceterum hoc loco addendum est, quòd interdum Iudex fert sententiam de consilio aliorum, præsertim in causis gravioribus, licet ipsi non sint Coniudices. Exemplum habetur in *c. Ad Apostolicæ; 2. h. t. in 6.* Vbi Papa Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi, præhabita diligenti deliberatione cum suis Cardinalibus, & sacro Concilio præsentè, tulit, ac promulgavit sententiam, per quam Imperatorem Fridericum II. privavit Impe-

rio, & Regno Sicilia, quod ab Ecclesia in feudum tenebat, quatuor allatis causis. Primò. Quia Imperator perjurus esset, pacem juratam inter Ecclesiam, & Imperium sæpius violando. Secundò. Quia Cardinales, Episcopos, aliòsq; Prælatos, seculares, & Regulares, & Clericos S. Romanæ Ecclesiæ ad Concilium venientes sacrilegè capi curavit. Tertio. Quia de hæresi evidentibus argumentis suspectus esset. Quarto. Quia Clericos, & laicos in Sicilia affligat, còlque Romanam Ecclesiam hostiliter impugnare compellat. Quibus annumerari potest, quòd pensionem annuam, quam ex Sicilia Regno Ecclesiæ Romanæ in feudi recognitionem pendere debet, amplius, quam per 9. annosolvere prætermiserit. Quare Pontifex omnes, qui iuramento fidelitatis eidem Friderico obstricti sunt, in perpetuum absolvit, prohibens insuper, ne quisquam ei in posterum tanquam Imperatori, aut Regi pareat: eos autem, qui velut Imperatori, aut Regi, consilium, auxilium, vel favorem præstiterint, excommunicationis sententiæ ipso facto subiacere decrevit: addit denique, quòd illi Principes Germaniæ, ad quos spectat Imperatoris electio, depofito Friderico, eligant liberè Successorem. De Regno verò Sicilia, se cum Cardinalium consilio, provisurum, ait.

Porrò notat *Gl. hic V. Apostolica;* quòd in superscriptione huius c. dicitur; *sacro præsentè Concilio,* id potuisse de honestate, quam necessitate; quia etiam sine sententia, vel licentia, seu approbatione Concilij, potest Papa ferre sententiam in causis etiam gravioribus; ideoque non dicit, approbante, sed præsentè Concilio. *Gl. margin. hic lit. A.*

S E C T I O IV.

DE EFFECTU, ET EXECUTIONE sententiæ, & pœna Iudicis perpetuam iudicantis.

S. I.

Quis sit effectus sententiæ latae inter partes litigantes, & an ea etiam prosit, vel obsit alijs?

LXXVIII. Assertio 1. Præcipuus effectus sententiæ definitivæ est, quòd inter partes litigantes, inter quas lata est, faciat jus, si ab ea intra X. dies non fuit appellatum, vel, si appellatio deserta fuit; quia tum habetur pro veritate, juxta *Reg. jur. 207. in ff. etiam si contra jus litigatoris lata sit, c. Cum inter; 13. h. t.* & pro se habet præsumptionem juris, & de jure, quòd sit iusta, eiusque tanta est Auctoritas, ut ei standum sit, nec postea instaurari possit. *l. pen. C. de re iudic.*

LXXIX. Assertio 2. Tametsi sententia jus inter partes, inter quas lata est, faciat, ut iam dictum, ordinariè tamen non præiudicat alijs, inter quos lata non est, juxta regulam traditam in *c. Quamvis; 25. & pen. h. t.* cum duabus tamen exceptionibus, ubi Gregorius IX. ita rescribit. *Quamvis regulariter res inter alios acta, ac iudicata alijs non noceat, etiam tamen, cui*

» principaliter actio, vel defensio causæ compete-
 » bat, si passus est alium agere, sententia contra ipsum
 » lata, siue res iudicata obstat: sicut & illi, qui passus
 » est eum, à quo causam habuit, experiri, siue in lu-
 » dicio agere, præiudicium generatur; de quibus
 » plura infra. Est autem hæc regula desumpta ex Titu-
 » lo *Cod. Quibus res iudicata non nocet*, ubi in l. 2.
 generaliter dicitur Res inter alios iudicata, neque
 emolumentum afferre his, qui in iudicio non inter-
 fuerunt, neque præiudicium solent irrogare. Exem-
 plum habetur, tum in duobus heredibus debitoris:
 nam, licet unus eorum condemnatur, alteri id non
 nocet, sed integra ei est defensio, etiamsi ex eadem
 causa cum coherede suo agi sciverit: tum in duobus
 heredibus creditoris: nam, licet unus agat, & suc-
 cumbat, id alteri non præiudicat, prout deciditur in
 l. *Sepe*, 63. & *ibi Gl. In casu*, & *V. Peitoribus*; ff. *de*
re iudic. Ratio huius regulæ est; quia uni per alterum
 non debet iniqua conditio inferri: res enim,
 quæ culpâ caret, in damnum vocari non convenit,
 c. 2. *de Constit. Abb. hic num. 1.* ideo res iudicata, seu
 sententia lata inter aliquos, nocet ipsis partibus liti-
 gantibus, quæ sententiæ acquieverunt, & quarum
 iura sunt discussa; non autem alijs, qui in iudicio
 non fuerunt, & contra quos nihil actum fuit. *cit. l. 2.*
C. quibus res iudic. &c. Neque verò fatis est, eandem
 causam, seu quæstionem agi, si personæ sint diver-
 sæ; quia alteri personæ potest competere alia de-
 fensio, & mutatio personarum facit rem aliam vi-
 deri. l. *Et an. 14.* & l. *Si cum uno*; 22. ff. *de except. rei*
iudic. Zaf. in Comment. ff. de re iudic. n. 129. Confir-
 matur; quia litigantes quasi contrahunt in iudicio
 inter se, in ordine ad Iudicem, coram quo litigant: er-
 go, sicut contractus eos tantum, qui in eum confen-
 serunt, seu contraxerunt, obligat, non alios; ita etiam
 ex illo, quasi contractu litigantes tantum, non alij
 obligari debent. Et in hoc differt sententia, & res iu-
 dicata à lege, siue civili, siue Canonica; quia hæc
 omnes omnino obligat. c. 1. *de Constit.*

LXXX. Extenditur autem prædicta regula
 primò, quòd res iudicata alteri non nocet, etiamsi
 persona conjuncta, v. g. frater pro fratre in iudicio
 agat causam ipsius, absque mandato eiusdem, juxta
 l. 1. *C. quibus res iudic. non noc.* ubi habetur, quòd, si
 frater tuus agat, aut defendat causam tuam, tibi non
 obstat exceptio rei iudicatæ, si id ei neque mandasti,
 neque, quòd gestum est, postea ratum habuisti; quia,
 licet consanguineus pro conjuncto admittatur ad
 agendum, sine mandato, cum cautione debita, ipsum
 rem ratam habiturum. l. *Sed hoc*; 35. ff. *de procurat.*
 non tamen per hoc alter constituit eum suum procu-
 ratorem. *Abb. in cit. c. pen. n. 5. h. t.*

Extenditur secundò, Quòd, sicut sententia, ita
 nec probationes in iudicio factæ contra unum alteri
 præiudicent, c. *Inter*; 6. *ibi: nec attestaciones*, quæ
 continebantur in instrumento sententiæ, poterant
 eidem Archiepiscopatui nocumentum aliquid irro-
 gare; cum inter alias personas, & in alio iudicio re-
 ceptæ fuerint, *supr. de fide instrum.* Similiter nec con-
 fessio in iudicio facta præiudicat contententi, respectu
 alterius personæ, cum qua actum non est, juxta l. *ult.*
 ff. *de interrog.* ubi habetur, quòd confessio non præiudicat
 respondententi, nisi respectu interrogantis. *Abb.*
c. l. n. 4.

Extenditur tertio. Quòd, sicut sententia pro uno
 lata non nocet alteri, ita vice versâ, non prodest al-
 teri, vel ipsi, pro quo lata est, adversus alterum, qui
 cum in iudicio non est actum. *cit. l. 2. in princ. ff. quibus*
res iudic. &c. Abb. c. l. n. 2.

LXXXI. Excipitur primò. Si is, cui primo
 loco, seu principaliter actio, vel defensio causæ com-
 petebat; quia nimirum ipsius est jus, vel res in iudi-
 cium deducta; adeoque principaliter de eius præiudi-
 cium agitur, patiatur alium agere; tunc sententia, & res
 iudicata ei nocet, *cit. c. pen. h. t. & l. pen. ff. de re iudic.*
 Ratio est; quia, cum is, ad quem res, seu causa prin-
 cipaliter pertinet, possit removere litigantem à iudi-
 cium, & in se assumere Iudicium, substituendo se in lo-
 cum illius, vel protestando, quòd nolit, ut litige-
 in sui præiudicium: consequenter, si taceat, videtur
 consentire, juxta vulgatam regulam, quòd tacere
 consentire censetur, si id, casu, quo consentire nolit,
 possit, ac debeat prohibere: & sic alter censetur lit-
 igare ex voluntate eius, ad quem causa principaliter
 pertinet: quamobrem, cum scienti, & volenti non
 fiat injuria, neque dolus, juxta *Reg. jur. 27. in 6. m.*
 tunc inter alios iudicata nocet etiam ei, ad quem cau-
 sa principaliter pertinet. *Abb. in cit. c. pen. num. 6. & 7.*
 8. *h. t.* Exemplum afferitur in *cit. l. pen. ff. de re iudic.*
 si alicui pro debito fundus oppignoratarius sit, de cuius
 dominio, seu proprietate tertius litem movet in iudi-
 cium, tum actio, seu defensio primo loco spectat ad
 debitorem; siquidem, si fundus fuerit evictus, de-
 bitor, vel solvere creditor tenetur, vel ad aliud pe-
 gnus dandum contrariâ pignoratitiâ actione com-
 pelli potest. l. *Creditor*; 28. ff. *de reb. credit. l. Tante*
16. §. 1. ff. de pignor. act. Quare, si tali casu debitor
 permittat creditorem agere in iudicio, ad quem spo-
 dat secundariò causam agere, vel defendere, non
 factâ protestatione, sententia contra creditorem lata
 etiam ipsi nocebit. *Abb. in cit. c. pen. num. 7. h. t.* no-
 que refert, quòd creditor possit instituire actionem
 hypothecariam, contra tertium possessorem, etiam
 invito debitore, siquidem etiam contra ipsum debi-
 torem agere potest. l. *Cum notissimi*; 7. c. *de prescrip.*
vel 40. ann. nam, licet debitor non possit prohibere
 creditorem, quò minus agat actione hypothecariâ,
 quatenus tamen in tali iudicio de dominio rei dispo-
 ptatur, quòd ad debitorem spectat, potest se ingere-
 re, & causam suam defendere; quippe, cum ipse
 principaliter interfit, & ipse optime ex omnibus
 jure suo scire, & docere possit; quamvis etiam
 creditor assistere possit in iudicio, ne debitor colludat.
Abb. c. l. n. 2.

LXXXII. Excipitur secundò. Si Titius
 passus est eum, à quo causam habet, agere, aut de-
 fendere in iudicio, sententia contra eum lata nocet
 etiam ipsi Titio, juxta *cit. c. pen. h. t. & l. pen. ff. de re*
iudic. tametsi ad ipsum non pertineat principaliter
 actio, vel defensio: nam aliàs ista secunda exceptio
 non differret à prima; adeoque Pontifex incepte ex-
 pisset duos casus in *cit. c. pen. h. t. Abb. ibid. n. 9. & de*
de Novo n. 8. quidquid in contrariù dicat *Ant. de de*
trio, quòd in effectu in *cit. c. pen.* non excipitur, nisi
 unus casus, & quòd primus casus exceptus sit, ratione
 secundi; quia non ad auctorem, sed successorem pri-
 mo loco spectat actio, & defensio. Exempla afferuntur
 in *cit. l. pen. ff. de re iudic.* Veluti, si maritus uxorem

tem, vel foerum in iudicio agere, vel defendere permit-
tatur, circa proprietatem rei in dotem accepta, sen-
tentia contra eos lata praedictat marito; quia cau-
sam ab alijs habet. Item, si emptor permittat, ut ven-
ditor agat, aut defendat in iudicio rem venditam; sen-
tentia lata contra venditorem etiam praedictat em-
ptori; quippe, qui causam habet, seu jus accipere de-
bit à venditore, si quod illi competebar: si enim
venditor dominus rei non fuit, neque emptor esse
potest: similiter, si creditor passus sit debitorem liti-
gare, sive agendo, sive defendendo, de dominio, seu
proprietate rei oppignorata, sique succumbat, praedi-
cabitur id creditoribus; quippe, qui causam pignoris
habet à debitore, *cit. l. pen. ubi Gl. V. Veluti, si debi-
tor;* ait, legendum esse: creditor. Quamvis in hoc po-
tremo exemplo actio, & defensio principaliter perti-
neat ad debitorem, & non ad creditorem; & tamen
sententia lata contra debitorem praedictat credi-
tori; quia causam pignoris habet à debitore. *Alex.
de Nevo ibid. num. 8.* requiritur tamen, ut is, qui
ab altero causam habet, sciverit, causam agi, & pas-
sus sit; ut docet *Bart. in cit. l. pen. in princ. ff. de re ju-
dic. Innoc. in cit. c. pen. num. 3. h. 1.*

LXXXIII. Excipitur tertio à regula supra
tradita, quòd, licet regulariter sententia, aliisque iu-
dicii acta, praeter litigantes, alteri tertio non noceant,
quoad plenum praedictum, faciunt tamen contra
illum praesumptionem aliquam. *Arg. l. Si duos 13. &
ibi Gl. V. Habiturum; ff. de iur. iur. Alex. de Nevo in
cit. c. pen. num. 2.* Et hinc sententia lata contra un-
um, v. g. adulterum, vel simoniacum, inducit infam-
iam facti etiam tertio consorti criminis, ita, ut pos-
sit illi iudici purgatio canonica, juxta *c. Significasti;
& ibi. Gl. in notat. de adulter. Alex. de Nevo c. l.
num. 5.*

Excipitur quarto. Sententia lata inter partes
praedictat etiam alijs, quorum interest, si ad iudi-
cium legitime citati non adveniant; ideòque consul-
tum est, ut actor faciat semper citari eos, quorum in-
terest, vel specialiter, vel per edictum generale: nam
tunc sententia definitiva lata contra principalem et-
iam ipsis obert; quia censetur etiam inter illos ju-
dicatum, dummodo citatio ad notitiam ipsorum per-
veniret, vel per ipsos steterit, quò minus perveniret.
*Alex. de Nevo in cit. c. pen. num. 60. 63. & 64.
h. 1.*

LXXXIV. Excipitur quinto. Si causae sint
connexae: in his enim res inter alios iudicata etiam al-
teri absentis, & non litiganti prodest, vel obest. *Gl. in cit.
c. pen. V. Inter alios; h. 1. Alex. de Nevo ibid. num. 9.*
Exempli gratia, si agatur de invaliditate praesentatio-
nis, electionis, collationis, vel ordinationis, sententia
lata contra praesentatorem, electorem, collatorem,
ordinantem, sciente, & patiente praesentato, electo,
provisio, ordinato, etiam ipsi praedictat; ut, si di-
catur praesentatorem, eligentem, collatorem ordi-
nantem non habuisse potestatem. Ratio est; quia
sententia fuit lata contra Auctorem suum, à quo praesentatus,
electus, investitus, ordinatus causam, & jus habet, & quidem in illo iure, quod ab eo ha-
bet: ideòque propter connexionem juris, & causae vi-
detur litigasse ex voluntate alterius. Similiter vice
versa, si lis mota sit electo, instituto, ordinato, quòd
non sit legitime electus, institutus, vel ordinatus, vi-

delicet à non habente potestatem, sententia lata con-
tra ipsum praedictat electori, collatori, aut ordina-
ti scienti, & patienti causam agi; ut colligitur ex *cit.
l. pen. ff. de re iudic. junct. Gl. marg. lit. E.* Ubi dicitur:
si sententia lata sit contra libertum meum, seu à
me manumissum, quòd videlicet sit servus, vel liber-
tus alterius, id nocet mihi scienti, & patienti causam
agi. Consentit *Gl. in c. 3. V. Sociabitur; dist. 81.* ubi
ait: Praedictat ordinatori sententia lata contra ordi-
natum, quando praesens est, & scit causam agi ordi-
nati: cum enim quasi sua causa agi videatur (eius
enim principaliter interest) & tacet, nec defendit
causam, sibi praedictat, juxta *cit. c. pen. & l. pen. ff.
h. 1. Abb. in cit. c. pen. num. 23. & Alex. ibid. num. 12.*

Alia verò ratio est, quoad poenam, si videli-
cet elector, collator, vel ordinator per sententiam puni-
tus sit; quia v. g. Clericum Simoniacum, vel adul-
terum elegit, investivit, vel ordinavit: tunc enim sen-
tentia non praedictat electo, investito, vel ordina-
to, quoad plenum praedictum; quia quoad poe-
nam non est inter eos connexio, sed solum quoad
jus translatum: praeterquam, si crimen simoniae v. g.
à duobus inter se commissum, declaratum sit noto-
rium; tunc enim Iudex ex officio propter connexio-
nem punire quoque potest socium criminis. *Abb.
in cit. c. pen. num. 22. & 23. Alex. de Nevo ibid. n.
9. & 10.* sic etiam sententia condemnatoria lata
contra adulteram non praedictat adultero, nisi
quoad aliquam praesumptionem; & è converso: sicut
nec sententia absolutoria regulariter prodest socio
criminis, nisi in muliere adultera: nam adultero ab-
solutio per sententiam ab adulterio, ea prodest etiam
adultera, ut de adulterio amplius accusari non pos-
sit: qui tamen est casus specialis; ut patet ex *l. Denun-
ciasse; 17. §. Queritur; ff. ad leg. Jul. de adul. & ibid.
Bart. num. 2. Alex. de Nevo c. l. num. 9. & 10.*

Porrò, quòd dictum est, sententiam latam con-
tra electum, vel institutum prodest, vel obesse etiam
electori, vel collatori; id intelligendum est, quatenus
electus, vel institutus, jus & causam accepit ab ele-
ctore, vel collatore; & si circa illud ipsum sententia fe-
ratur pro, vel contra electum, vel institutum, ea etiam
prodest, vel obest eligenti, vel conferenti; sicut colligitur
ex *c. Cum olim; 7. de caus. poss. & propr. nam, si elector,
vel collator fuit in possessione juris eligendi, vel con-
ferendi, tempore electionis, vel collationis, tamen
forte jus istud, secundum proprietatem, non habue-
rit, sententia lata pro, vel contra electum, aut institu-
tum prodest, vel obest electori, vel collatori in pos-
sessorio, salvà manente quaestione proprietatis; quia
ad legitimam, & validam electionem, vel collationem
sufficit, quòd elector, vel collator fuerit in possessione
juris eligendi, vel conferendi; quamvis jus illud quo-
ad proprietatem ad ipsum non spectaret; ut constat
ex *cit. c. Cum olim; Abb. in cit. c. pen. num. 23. h. 1.
& ibid. Alex. de Nevo num. 12. & 13.**

Plures huiusmodi casus exceptos à regula su-
pra tradita, in quibus res iudicata alteri absentis, &
non litiganti in iudicio prodest, vel obest, refert *Gl.
in cit. c. pen. V. Res inter alios; & Abb. ibid. num.
13. & seqq. Alex. de Nevo num. 9. & num.
25. & seqq. apud quos videri
possunt.*

§. II.

De aliis nonnullis effectibus
sententia.

Plures sunt adhuc alij effectus sententiæ, de quibus hoc §. agemus.

LXXXV. Assertio 1. Alius effectus sententiæ definitivæ est, quod per illam lis, seu controversia finiatur. Vnde S. Gregorius I. in c. *Iurgantium*; 2. h. t. ita refertur: Equitati, & juris rigori non con- venit, ut judiciales controversiæ per sententiam ce- leriter terminentur.

LXXXVI. Vbi notandum primò. Juris ri- gor hic non accipitur pro quodam excessu, & auste- ritate juris, ad terrorem incuriendum, qui rigor ple- rumque temperandus est, eique æquitas præferenda: neque etiam pro subtilitate juris; prout accipitur in c. *Ex litteris* 3. §. de restit. spoliat. ubi dicitur, quod prædo, secundum rigorem juris, restituendus sit: sed pro eo, quod Juri communi scripto consentaneum est, rigorose sequendo eius litteram, sive, ut causa deci- datur secundum Jus commune scriptum, prout sumit- tur rigor juris in c. *Super litteris*; 20. de rescript. Gl. in c. *Vt constitueretur*; 25. V. *Detrahendum*; dis. 50. Abb. hic in princ.

Notandum secundò. Quod dictum est per sen- tentiam definitivam finiri litem, sive causam contro- versam, id verum est, saltem quoad instantiam Iudicij; quia post latam sententiam Iudex functus est suo of- ficio, & desinit esse Iudex, quoad eam causam. l. *Iu- dex*; 55. ff. de re judic. ideoque sententiam definiti- vam semel latam non potest corrigere, vel revocare. l. *Quod iussit*; 14. junct. Gl. fin. & cir. l. *Iudex*; 3. ff. eod. interlocutoriam tamen sententiam mutare, & re- vocare potest; quia per illam causa plerumque non perimitur, seu deciditur. l. *Post sententiam*; 9. C. de sentent. & interloc. omn. jud. Gl. in cir. l. *Iudex*; 3. V. *Sen- tentiam*. Imò etiam post latam sententiam definiti- vam, ea, quæ ad causam consequentia spectant, omissa supplere potest Iudex, eodem die, non postea; ut, si omisit condemnare in expensas litis, vel ad fru- ctus restituendos, l. *Paulus*; 42. & ibi Gl. V. *Conde- mnandum*; ff. de re judic. Quod si sententia lata fuit ipso jure nulla, Iudex denuo causam ex integro cog- noscere potest, si ordinarius fuit, l. *Sicut proponis*; 4. & ibi Gl. V. *Commisit*; junct. Gl. marg. lit. H. C. Quo- mod. & quando Iudex & c. l. 1. in fine C. de sentent. & in- terloc. omn. jud. quia tunc durat adhuc ipsius officium, *Wesenbec, in parat. ff. de re judic. num. 10.* ubi ait, quod ab ipso Iudice, qui sententiam tulit, peti possit, ut eam declarat nullam.

Notandum tertio. Quod in hoc c. dicitur, causas celeriter esse per sententiam terminandas, id ita intelligendum est, ut tamen ordo Iuris requisitus non prætermittatur, & veritas non occultetur, dilata- tiones, ac defensiones necessariæ concedantur, & legiti- mæ probationes admittantur, atque tota causa suf- ficienter discutatur; ut colligitur ex *Clement. Sæpe* 2. de V. S. alioquin, si Iudex ita festinavit, ut ex bre- vitate temporis præsumi possit, quod non bene in- structus tulerit sententiam, ea nulla est, & rescinden- da; uti sumitur ex c. *Tum ex litteris*; 5. de in integr. re-

stit. ut docet *Abb. hic n. 3. & 4. Alex. de Novo* n. 3. Est autem hic sermo non de toto processu ju- diciario, sed solum de probatione sententiæ definitivæ celeriter faciendâ, postquam in causa conclusum est, ut colligitur ex illis verbis: *celeriter sententiâ*. *Fina. in n. 6. & Barb. in Collect. hic n. 5.*

LXXXVII. Assertio 2. Inter effectus sententiæ etiam referri potest, quod sententia definitiva, ac justè lata à Superiore confirmanda sit, si id præceperit *Hostiens. in summa in Rubr. de sententiâ. §. Quis sententiâ*; num. 7. h. t. idque sumitur ex c. *Ea, quæ*; 4. ubi statuitur, quod ea, quæ juxta Ecclesiasticum mo- dum (id est, secundum Canones. Gl. hic V. *Morem*) justè, & rationabiliter sunt definita, per confirma- tionem Papæ debeant approbati: si nimirum ad ea fuerit postulatum; ut notat *Gl. ibid. V. Roboretur*. Et autem hoc c. desumptum, ut refertur in *Gl. margin. hic ex Epist. 85. Leonis I.* quæ incipit: *Cum in ordina- tionibus*, ubi in fine scribit, quod causæ ad statum Ec- clesiasticum, & concordiam Episcoporum pertine- res, si in Synodo Episcopali, juxta Ecclesiasticum mo- dum, justè, & rationaliter definita sunt, ad Sedem Apostolicam, cum plena relatione mitti debeant, etiam Romani Pontificis accedente sententiâ robo- rentur. Ex quo colligitur, quod causæ Ecclesiasticæ, quæ secundum se, vel spectatis circumstantijs loco- rum, & temporum, graves sunt, ad Sedem Apo- stolicam referendæ sint, ut ab eadem quoque cognosca- tur, & confirmetur. Aliam expositionem huius c. adfert *Barb. in Collect. hic num. 3.* nempe, quod ter- tus iste intelligendus sit de confirmatione iustitiæ, quæ mediante appellatione, vel supplicatione, à parte pos- tulatorum, ita, ut etiam Papali, quod iure, ac justè de- finitum est à Iudice inferiore, non possit de potestate ordinaria, & regulariter talem sententiam definiti- vam revocare, sed necessariò confirmare illam de- beat.

LXXXVIII. Ceterum circa confirmationem sententiæ latæ notandum, quod, si à sententia defi- nitiva lata contra Actorem appellatum sit, eque nihil iniquum contineat, debeat à Iudice appella- tionis confirmari; prout sumitur ex c. *Causam*, quæ 14. h. t. Nam, cum inter Canonicos Novariensis Ecclesiæ, ex una parte, & A. Clericum, ex altera, in- orta esset super præbenda dictæ Ecclesiæ, illam Poni- tificem, ex partium consensu, commisit Episcopo Lau- deniensi, qui sententiam pro Canonicis tulit, à qua A. Clericus ad Papam appellavit: coram quo, cum partes comparuissent, ac pro, & contra iustitiam prioris sententiæ multa adduxissent, Innocentius III. respondit, se, licet ex parte ipsius A. proposita fuerit, & testium depositiones productæ sint, quod Episco- pus contra formam mandati Apostolici sententiam promulgavit, quia tamen Iudicis animus non semper ad unam tantum probationis speciem inclinatur, & alioquin Episcopi sententiæ nihil iniquum continet, & insuper communi partium consensu eidem causa fuit commissa, qui etiam ut sententiam, post causæ examinationem, ferret, ab utraque parte fuit regulato- tus, ideo sententiam latam ab Episcopo confirmare.

LXXXIX. Pro declaratione huius c. est dis- tinguendum: Vel Iudex à quo contra Actorem sen- tentiam tulit, & ex actis apparet, Actorem inno- centionem suam legitime probasse; & tunc sententia

retractari debet. *cap. Cum Bertholdus; 18. hoc tit. Et vice versa, si Iudex à quo pronunciavit pro Actore contra Reum; sed ex actis cognoscitur, quòd Actor sufficienter non probavit, retractanda est sententia. Arg. cap. Cum ad Sedem; 15. §. Nos prioris; de rescriptis. spoliat. Vel ex actis inspectis non satis apparet de iniustitia prioris sententia, à qua fuit appellatum: sed res dubia est; quia nimirum non constat, testes productos in priore iudicio fuisse omni exceptione maiores: neque scitur, quibus aliis presumptionibus Iudex prior motus fuerit ad pronunciandum, si ve in unam, si ve in aliam partem: sed neque novæ probationes allatæ sunt in posteriore iudicio appellationis: adeoque, cum dubium est, num prior sententia iusta sit, an iniusta; hoc casu, prioris iudicis sententia, maxime, si utraq; parte consentiente electus fuerit, per Iudicem appellationis confirmanda est. Et hic est casus cit. *cap. Causam que, ut exponit Alexand. de Nevo ibid. num. 20. & 21. Ubi, cum à sententia lata appellatum esset ad Papam, tamen si ex parte Actoris Clerici, productæ sint testium depositiones, quòd Episcopus contra formam mandati Apostolici sententiam protulerit: quia tamen non satis constabat, testes illos fuisse integre fidei, & omni exceptione maiores, aut quibus aliis presumptionibus prior Iudex nixus fuerit; ac proinde ex actis exhibitis coram Iudice appellationis non satis liquebat, priorem sententiam iniustam esse: ideo sententiam prioris iudicis, præsertim, cum ab utraque parte fuerit impetratus, & requisitus, ut post examinationem causæ sententiam ferret, Papa confirmavit; quia semper standum est sententiæ priori, donec de eius iniustitia constet. *Gl. in cit. cap. Causam; in fine. h. t.***

X C. Atque hinc colligitur primò. Quòd per appellationem non omnino tollitur præsumptio, quæ stat pro iustitia sententiæ prioris: ac proinde, si ex actis inspectis non evidenter appareat iniquitas sententiæ, præsumitur, Iudicem à quo iuste motum fuisse ad talem sententiam ferendam. *Abb. hic n. 5.*

Colligitur secundo. Quando Iudex, utriusque partis consensu, fuit electus; tunc magis præsumitur, sententiam iustam esse, quam, si ad instantiam unius tantum partis, vel ex mero iudicis officio sit constitutus; quia tum præsumitur esse amicus, & æquè favore utrique parti: par autem affectio omnem suspicionem tollit. *Abb. e. l.*

Colligitur tertio. Etsi in casu huius cap. allegatum fuerit à parte appellante, quòd Iudex à quo processerit, & pronunciaverit contra formam mandati Apostolici; quia tamen id probatum non fuit, quamvis niteretur probare, ideo processus tenuit, & sententia prioris iudicis non fuit retractata, sed confirmata; quia, qui appellat, debet probare iniquitatem sententiæ prioris. *Gl. in cit. cap. Causam, V. Mandati. & V. Nitebatur. Abb. ibid. n. 7.*

X C I. Assertio 3. Sententia habet quoque hunc effectum, ut, si Rescriptum à Papa impetratum contra sententiam prius ab eodem latam, in quo illius non fit mentio; adeoque etiam collatio beneficii in tali Rescripto facta non valeat; prout sumitur ex *cap. Cum olim; 12. h. t.* Nam, cum Archidiaconatus Ecclesiæ Magalensis vacaret, Episcopus F. de Castro novo ad eundem nominavit, Sed Præpositus dictæ Ecclesiæ protestatus est, ne quis

in Archidiaconum institueretur, nisi duplici voce, seu suffragio sibi concesso, & si id negetur, adversus institutionem ad Sedem Apostolicam appellavit. Verum, hoc non obstante, Episcopus dictum F. per anulum investivit, Præpositus verò alium nominavit: ideoque procuratores utriusque partis missi Romam venerunt. Re hac intellectâ, Cælestinus Papa utriusque partis acta cassavit, & insuper pronunciavit, scribendum esse ad quosdam, ut Episcopum, Præpositum, & alios monerent: ad instituendum concorditer Archidiaconum: quòd si non facerent, ipsimet id exequerentur, & aliquem instituerent; postea verò idem Cælestinus, ignorante procuratore Episcopi, qui tunc Romæ morabatur, Archidiaconatum alteri cuidam, scilicet G. qui nondum erat Diaconus, contra priorem suam pronuntiationem contulit, sicut credere licet, circumventus. Tandem causa hæc delata fuit ad Papam Innocentium III. qui inhærens vestigijs suorum Antecessorum dicentium, sententiam Romanæ Sedis, propter obreptionem falsitatis in ea fortè contingentem, in melius commutari posse, idcirco collationem ipsi G. factam in irritum revocavit, non obstante, quòd etiam Episcopus Magalensis eandem collationem Archidiaconatus eidem G. fecisse dicitur, non sine Sedis Apostolicæ illusione: & eidem G. licet absenti super dicto Archidiaconatu perpetuum silentium indixit: ac insuper Capitulo Magalensi mandavit, ut convocatis omnibus, qui in Ecclesia præsentis sunt (vel maiori eorum parte, quòd sufficit. *Gl. fin. hic.*) Archidiaconum ordinare, seu instituere curent.

X C I I. Hinc colligitur. Si Papa (vel alius Ordinarius) contra præcedentem suam sententiam, etiam interlocutoriam tantum, beneficium alicui conferat, vel aliud rescriptum etiam gratiæ concedat, nullâ factâ mentione prioris sententiæ, seu pronuntiationis, censeri debet collatio, aut rescriptum subreptitium: adeoque non valet. Ratio est; quia, si Papa fuisset recordatus prioris suæ sententiæ, seu pronuntiationis, verisimiliter non concessisset beneficium, vel rescriptum contra illam; quia nemo in dubio præsumitur proprium factum velle impugnare: ideoque Papa concedens gratiam posteriorem nunquam præsumitur velle præiudicare gratiæ prius concessæ, eamque revocare: sed potius præsumitur circumventus ab impetrante, & quòd propter multitudinem negotiorum non fuerit recordatus contrariæ pronuntiationis, seu concessionis prioris, de qua in posteriore concessione non fecit mentionem. *Abb. hic n. 12. & 13.*

X C I I I. Extenditur autem hæc doctrina primò. Quòd Papa, vel alius Princeps, quando revocat priorem suam concessionem, vel pronuntiationem, non factâ mentione de illa, præsumitur circumventus, ita, ut probatio in contrarium non admittatur, adeoque sit præsumptio Juris, & de Jure. *Innocent. hic V. Circumventus; & Hostiens. V. Eod. nec obstat, quòd Papa hic dicat, sicut credimus: nam hoc verbum exponitur, id est, scimus; quia credere, & scire quodammodo idem sunt, in ordine ad conscientiam sublevandam. Ioann. Andr. hic n. 4.*

Extenditur secundo. Etiam si collatio beneficii facta, vel aliud Rescriptum gratiæ datum sit, motu

motu proprio, contra priorem sententiam, vel concessionem; quia motus proprius non confirmat gratiam contra præsumptam intentionem concedentis; ut tradit *Abb. hic n. 15.* præsertim, si posterior concessio tendat in præiudicium alterius. *Alexand. de Nevo hic num. 23.*

Extenditur tertio. Non tantum, si contra priorem sententiam interlocutoriam, aut collationem, vel reservationem beneficii Titio v. g. factam, illud nullam eius mentionem factam postea conferatur alteri: sed etiam, si dux sententiæ interlocutoria latae sint super eadem re, seu facto, quarum posterior priori contraria est, si non constat, quod Iudex tulerit secundam, animo revocandi primam, valet prima, & non secunda: cum enim in hac nulla mentio facta sit prioris, ea per circumventionem emanasse censetur. *Glos. hic V. Circumventus; & Abbas num. 13.* ubi tamen id limitat, nisi ex circumstantiis appareat, quod Iudex memor fuerit prioris sententiæ paulo antè prolatae; quia ignorantia facti proprii, præsertim recentis, non facile præsumi debet. *Arg. cap. Ab excommunicato; 41. de rescriptis.*

XCIV. Colligitur secundò. Sententia, etiam Papæ, vel alterius Principis, propter falsitatis, seu erroris obreptionem revocari, & mutari potest, ac debet; ut patet ex hoc cap. ubi dicitur, sententiam Romanæ Sedis in melius commutari posse, si aliquid falsitatis, vel erroris subreperit; ut constat etiam ex *cap. Tum ex litteris; 5. de in integr. restit. Glos. in cit. cap. Cum olim in not. & V. Subreptione.*

Colligitur tertio. Si impetretur Rescriptum contra adversarium, & ille, vel procurator illius præsens sit in Curia; tum ille, vel ipsius procurator citandus est: alioquin impetratio non valet: quod verum est in litteris iustitiæ, seu ad lites, non autem in litteris gratiæ: nam, cum in iis fiat liberalis donatio, non fit iniuria parti adversæ, etiam si illa, vel procurator illius non citetur. *Abbas hic num. 16. & Alexand. not. 5.*

Colligitur quarto. Si is, qui obtinuit beneficium à Papa, postea idem sibi conferri petat ab inferiore collatore, is videtur illudere Sedi Apostolicæ, & posterior collatio non valet; quia speciem habet, quasi inferiorem potestatem præferre velit Superiori. *Glos. hic V. Donationis. & Alexand. n. 6.*

Colligitur quinto. Valet sententia contra absentem, etiam non citatum lata, si notorium sit, ipsi nullam defensionem competere; ut in casu huius c. quia Papæ liquidò constabat de subreptione commissa à G. in impetratione Archidiaconatus: ideo ipsi, etsi absentem, & non citato, silentium imposuit, propter fraudem, quâ decepit Papam. *Gl. hic V. Absenti. & Alex. n. 7.*

XCIV. Assertio 4. Sententia definitiva hunc quoque effectum habet, quod interdum irroget infamiam Reo condemnato: nam, si v. g. aliquis actione iniuriarum conventus per sententiam fuerit condemnatus, infamiam Juris contrahit. *l. Athletas; 4. §. ult. ff. de his, qui not. infam. ubi idem statuitur de aliis quibusdam delictis privatis. & l. Infamem; 7. in fine. ff. de publ. judic.*

XCVI. Idque extenditur primò. Sive civiliter, sive criminaliter de iniuria agatur. *Gl. in cap. Cum te; 23. V. Infamia, h. r.* quia Jura simpliciter dicunt, quod damnatus actione iniuriarum fiat infamis;

adeoque etiam indistinctè intelligi debent. *Ibid. num. 2.* ubi rationem reddit; quia, cum actio iniuriarum sit privati Juris, non est curandum, utrum agatur criminaliter, an civiliter.

Extenditur secundò. Etiam si levis solam, seu parva iniuria fuerit irrogata; quia ipsa sententia tali crimine lata civiliter infamat; prout colligitur ex *cit. cap. Cum te; 23.* secundum unum eius interlocutorum *h. r.* Nam, cum inter H. de Castro Guarni, & Bartholomæum contentio quædam verborum orta fuisset, ille dixit Bartholomæo, equum eiusdem non esse minoris pretij, quam capillus ipsius scilicet Bartholomæi: quomobrem hic convenit dictum H. de Castro actione iniuriarum, quem Iudices, qui super hac re cognoscebant, condemnarunt in decem solidos. Sed, cum timeret, ne ex hac sententiâ contra ipsum latâ infamiam contraxisset, petiit à Sede Apostolica beneficium restitutionis ad famam. Re delatâ ad Innocentium III, is respondens, quod nulla, vel minima, seu exigua solùm iniuria ipsi Bartholomæo esset facta, pronuntiavit dictum H. per prædictam sententiam infamiam non esse notatum.

XCVII. Ubi Notandum primò. Cùm in causa huius cap. actione iniuriarum conventus, & condemnatus à Papa petisset, ut eum famæ restitueret, Papa non respondit, non esse opus ullâ restitutione, sed restituit, dicendo, velle se, ut infamia non sit notata, idque ob eam causam; quia nulla, vel minima, seu exigua iniuria alteri fuit illata. Quare vel nulla sit iniuria irrogata alteri; & tum sententia condemnatoria Iudicis etiam fuit nulla, seu irrita, cum necessariò supponat, iniuriam aliquam esse illatam: & consequenter etiam effectum infamiæ produceret non potuit: vel fuit iniuria aliqua, sed minima, seu modica solùm illata; & tunc tantò facilius condemnatus meruit famæ restitui: & ideo Papa hic dixit, se velle, ut infamia non sit notata, & hoc ipso plene illam restituit famæ; ut tradit *Innocent. hic in prin. & Hostiens. circa fin. Ioann. Andr. num. 5. Abbas num. 4. & 7. Felin. ibid. num. 9.* & est communis sententia, idque confirmatur; quia absolute loquendo, etiam ob modicam, & levem iniuriam contrahi potest infamia; ut patet ex eo, quod etiam in re modica committitur crimen furti, agique potest de furto, & condemnatus contrahit infamiam Juris. *cap. ult. de Gl. in cit. cap. Cum te. V. Minima. & Durand. in spec. l. 1. part. 3. tit. de restit. in integrum. §. pen. n. 7.* ubi aliter patet in *cit. cap. Cum te.* conventum iniuriarum actione, & condemnatum non restituisse famæ, sed declarasse, non esse infamem, eò quod nulla, vel minima iniuria ab eo fuit illata. Verùm, quòd Papa ipsum potest famæ restituerit, colligitur tum ex eo; quia responsio debet convenire petitioni: cum ergo hic haberet petitum beneficium restitutionis ad famam à Papa, hic respondendo per verbum *Volumus*, videtur solùm restituisse; præterquam, quòd verbum *Volumus* importet dispositionem, seu decretum, & non simplicem declarationem. Tum quia Jura simpliciter, & indistinctè dicunt, quòd condemnatus actione iniuriarum fiat infamis, non distinguendo, utrum magna, vel modica iniuria illata fuerit: ideoque

generaliter etiam, & indistincte sunt intelligenda. *Abb. in cit. cap. Cum te; n. 8. h. 1.*

Notandum secundò. Is, qui in casu huius cap. famam retinuit fuit à Papa, vel Clericus fuit, vel temporali Jurisdictioni eiusdem subiectus: alioqui enim Papa civilem infamiam abolere, & pristina famam eum restituere non potuisset: cum enim talis infamia per Civilem potestatem sit irrogata, non nisi per eandem tolli potest; ut docet *Glos. hic V. Volumus; & Gratianus in cap. Euphemium; 7. §. Hinc colligitur; caus. 2. q. 3. & Archidia. ibid. num. 4.* Addit *Glos. in cit. cap. Cum te. V. Infamia. hoc tit.* Siquis conventus actione famosâ, iniuriarum v. g. vel furti, vitare vel infamiam, procuratorem constituat in Iudicio, qui eum defendat: nam si procurator in actione furti condemnatur, nec ipse procurator, cum alieno nomine condemnatus sit, nec Principalis infamia nomine condemnatus sit, seu defensa; prout habetur in *l. Furti; 6. §. Siquis alieno. ff. de his, qui not. infam.* Idemque est de tutore, curatore, herede. *cit. §. Siquis alieno.* Id tamen limitat *Glos. ibid. V. Procurator.* verum esse, si civiliter actum sit de furto, non item, si criminaliter; quia in Iudicio criminali ordinariè non admittitur procurator. *l. pen. ff. de publ. iudic. vel si admittitur, ut si persona illustris sit, sive Actor, sive Reus, sententia tamen condemnatoria concipitur contra eum, qui procuratorem misit. l. ult. C. de iniuriis.*

XCVIII. Assertio quinta. Ex sententia lata pro Actore competit ei actio in factum ad præstandum id, in quo Reus condemnatus est. *l. Actori; 8. C. de rebus credit.* quæ est actio personalis, perpetua, & rei persecutoria, & datur tam heredibus Actoris, quam in heredes Rei condemnati. *l. Miles; 6. §. fin. ff. de re iudic.* Reo autem absoluto per sententiam datur exceptio rei iudicatæ contra Actorem, eiusque heredem, vel alium eius nomine agentem. *l. Rei; 4. ff. de except. rei iudic. nec rescinditur sententia prætextu instrumentorum postea reperorum. l. Imperatores; 35. ff. de re iudic. cap. Inter; 20. & duobus seqq. in fine. hoc tit.* ac denique solutum auctoritate rei iudicatæ non potest repeti, tanquam indebitum. *l. 1. C. de condic. indebit. l. Si fideiussor; 29. §. In omnibus. ff. Mandati.* Porro hos, & similes effectus operatur sententia valida, quæ non est per appellationem suspensa: nam sententia invalida, & nulla nullos effectus producere potest. *Hilrop. in process. iudic. p. 4. tit. 1. §. Qualit. sit fer. sentent. n. 77.*

§. III.

Per quem, & quo tempore, modo, ac Ordine executio sententia facienda sit?

Postquam sententia lata transit in rem iudicatum, post lapsum decem dierum, fieri debet ipsius executio, *cap. Sicut; 3. caus. 2. q. 1. cap. Quod ad consultationem; 15. h. 1.* non obstante exceptione. *cit. c. Sicut.* nisi incontinenti fuerit obiecta exceptio. *cap. Veniens; 38. & ibi Glos. V. Incontinenti de resibus.*

Tomus II.

cap. Litteras; 13. de restitu. spoliati. Glos. in cit. cap. Sicut. V. Excusatione.

XCIX. Assertio prima. Executio sententia fieri debet ab eo Iudice, qui eam tulit, si quidem sit Iudex Ordinarius. *l. à D. Pio; 15. in princ. junct. Gl. V. à se. ff. de re iudic. Marant. de ord. iudic. p. 6. tit. de execut. sentent. in 3. actu num. 2. & colligitur ex cap. Siquis; 4. & ibi Glos. V. Ipsius sollicitudine de foro compet.* Licet enim post pronunciationem cesset officium Iudicis mercenarium, quod actioni deservit; nobile tamen permanet, neque eo Iudex unquam defungi potest; ut notat *Mynsing. Instit. de offic. iudic. ad Rubr. num. 6.* quibus enim causa cognitio commissa est à lege, sive Jure, ut Iudicibus Ordinariis, qui à lege sunt constituti, his executionem commissam esse, censerit debet; quia Jurisdictio sine aliqua coercitione nulla est. *l. fin. ff. de offic. eius, cui mand. est Iurisdict.*

Secundò. Certum est, quòd delegatus Papæ sententiam suam exequi possit, juxta *cap. In literis; 9. & ibi Gl. in casu, & cap. Pastoralis; 28. §. Præterea de offic. iudic. deleg.* Idemque communiter extendunt ad delegatum alterius supremi Principis, juxta *l. ult. in fine. C. de iudic. qui delegat, ut Ordinarius, saltem de Jure Canonico; ut docet Menoch. de arbit. iudic. q. 74. num. 48.* maius verò dubium est de delegato ab inferiore Magistratu Ordinatio, v. g. Episcopo, quem communiter negant, posse exequi sententiam à se latam; quia eâ latâ, omne officium eius expirat: sed debet illius executio fieri per delegantem, juxta *l. à D. Pio; 15. in princ. ff. de re iudic. ubi dicitur, quòd Magistratus populi Romani Iudicium à se datorum, vel arbitratorum sententiam exequantur hi, qui eos dederunt. Menoch. cit. loc. num. 52. Marant. cit. loc. num. 4.* contrarium tamen docet *Glos. in cap. Siquis; 4. de foro compet. V. Ipsius sollicitudine, & ibid. Abb. num. 32. & Imola num. 2.* quia hoc ipso, quòd causa alicui committitur, censentur illi omnia esse commissa, quæ ad causam ipsam spectant, & sine quibus ea expedire non potest: ubi etiam *Glos. respondet ad cit. l. à D. Pio.* quòd ibi dicatur quidem Ordinarium exequi sententiam à delegatis latam, non tamen prohibeatur, quòd minùs etiam id possit delegatus, saltem si absens sit Ordinarius. Videri possunt, quæ de hoc dicta sunt supra *lib. 1. tit. 29. n. 98.*

Tertiò. Arbitri compromissarii, qui à partibus eliguntur, & arbitri Juris, qui à Iudice Ordinario, cum partium consensu, constituuntur, laudum, seu sententiam à se dictam exequi non possunt; quia solùm dati censentur ad pronunciantum: ideòque pronunciatione factâ, extinguitur omnis eorum potestas: executio autem sententia ab Ordinario Iudice fieri debet; ut colligitur ex *cit. cap. Siquis. Marant. c. l. n. 5.*

Quartò. Iudex appellationis, si confirmet sententiam, quam tulit Iudex à quo, non debet eam executioni mandare, sed remittere ad priorem Iudicem, ut ipse exequatur, & ut Iudicium, ubi latum est, etiam perficiatur. *Arg. cap. Cum in Ecclesia; 38. junct. Glos. V. Alioquin de appellat. Abb. in cap. Pastoralis; 28. §. Præterea. num. 7. de offic. iudic. deleg. & ibid. Laym. num. 6.* quamvis aliter docuerit idem *Abb. in cit. cap. Cum ab Ecclesia; num. 8.* Alii verò distinguunt: nam vel Iudex appellationis expressè confirmat priorem

Bbbb 2

sen-

sententiam, dicendo, bene iudicatum à Judice prioris instantiæ, & male appellatum; tunc ipse exequitur hanc suam confirmatoriã sententiam, & non Judex, à quo. *Marci. cit. loc. num. 6.* Vel Judex appellationis tacite solùm confirmat, per lapsum fatalium, vel pronuntiando, appellationem esse desertam, vel non devolutam; & tunc, quia ex primã sententiã ita tacite confirmatã datur actio iudicari, priori Judici à quo executio competit. *Mynsing. cent. 5. obs. 94. Hiltrop. p. 4. tit. 18. de execut. sent. n. 46.*

C. Assertio secunda. Post latam à Judice sententiam definitivã, ea non statim est executioni mandanda, sed expectandum est, saltem per dies decem, priusquam executio fiat; sicut colligitur ex *cap. Quod ad consultationem; 15. hoc tit.* Ubi tamen distinguendum est: nam in actionibus, & debitis personalibus tempus à Jure definitum pro executione sententiæ est tempus quadrimestre, quod condemnato ad solvendum conceditur. *cit. cap. Quod ad consultationem; §. l. 2. & 3. C. de usur. judic. & numeratur hoc tempus à die late sententiæ, vel, si ab ea appellatum sit, à die confirmationis prioris sententiæ. cit. l. 2.* Potest autem Judex hoc tempus ex justa causa abbreviare, vel prorogare. *cit. cap. Quod ad consultationem; junct. Glos. V. Actari.* non autem sine justa causa; quia indultum à Jure beneficium non est alicui auferendum, juxta *Reg. 17. in 6. & ibid. Dyn. num. 4.* sed de hoc plura dicta sunt supra num. 35. in fine. *hoc tit.* At verò in actionibus realibus, post latam sententiam, mox, ut ea in rem iudicatam transijt, videlicet post decendum, si appellatum non sit, executioni mandanda est: ac proinde condemnatus actione reali compelli debet ad rei, unã cum fructibus, possessionem tradendam petitori, cui res quoad dominium, vel quasi dominium est adjudicata, & quidem incontinenti, si Reus sententiam Judicis accepit: alioquin post decem dies, si appellatum non sit; quia tunc transit sententia in rem iudicatam; ut tradit *Glos. in cap. Querenti; 26. V. Quadrimestre tempus. de offic. Judic. deleg. & Glos. in §. Etsi in rem. V. In presentibus; Inst. de offic. Judic. Durand. in spec. lib. 2. part. 3. tit. de execut. sentent. §. Videndum; 4. num. 1.* Denique in causis, & actionibus criminalibus, tempus decendij, quod Jure communi Actori ad appellandum concessum est, necessariò expectari non debet, sed statim fieri potest executio. *l. Cum Reis; 18. C. de pæn. & docet Bart. in l. Qui ultimò; 29. num. 5. ff. Eod.* Verùm in Imperio criminaliter condemnatis appellationis remedium non conceditur; ut refert *Laym. in cir. cap. Querenti; num. 2. de Offic. deleg.*

CI. Porro, si petitori per sententiam adjudicata sit res quoad dominium, vel quasi dominium, vel illius possessio, non sufficit ad executionem, si condemnatus pro solutione pignora dare velit; sed requiritur, ut ipsam rem restituat, cuiusque possessionem actualem tradat; prout statuitur in *cap. Cum aliquibus; 6. h. t.* Ratio est; quia sententia executioni mandanda est, secundum condemnationem Judicis; adeoque condemnatus ad restituendum, vel solvendum, cogitur præcisè solvere, juxta *l. Si se; 4. §. At Pretor. ff. de re judic. & habet hic locum, quod dicitur in cap. 1. De eo,*

qui mittit. in possess. &c. junctã Glos. V. Voluntas voluntas sola non sufficit, ubi factum requiritur, ut ve effectus: & promittens solvere certam pecuniã summam, non censetur solvere, nisi pecuniã numeret. *l. Solutum; 49. in princ. ff. de solut. Etsi* pi debet, nisi possessor statim restituere non possit, tunc enim assignabitur ipsi terminus, intra quem restituere debet, ita tamen, ut interim sufficienter caveat, per fideiussores videlicet, aut pignora, de restituenda re, vel eius æstimatione. *cit. §. Etsi terminus Inst. de offic. judic. & docet Gl. margin. in cir. cap. Querenti lit. E. de offic. deleg.*

CII. Aliam expositionem huius cap. addit *Glos. magna hic, & Abb. in princ.* quòd ad Præmittendum pignus non sufficit, si Judex verboreus Actorem mittat in possessionem rei petite, ob contumaciam Rei conventi, sive jubeat eum mitti, sed requiritur, ut actu ei tradatur possessio custodia capta. Quæ expositio, etsi in se vera sit, non tamen convenit huic textui, & simpliciter tradatur ei possessio tanquam ipsius propria. *Abbas hic num. Barb. in Collect. ibid. num. 4.* ubi addit, quòd in hoc cap. verba illa, *adjudicata possessio*, possunt intelligi, & accipi, vel pro ipsa re, & proprietate, juxta *l. Interdum; 78. ff. de V. S. cap. Possessio. 10. de reb. Eccles. non alien. & tradit hic Innocent. V. Possessio*, id est, res aliqua: vel etiam pro ipsa, ut possessione rei, juxta *tit. ff. de acquir. possess. l. que sumitur etiam ex l. Non potest; 26. ff. de pignor. act.* ubi dicitur: Cum justus Magistratus pignus constituitur, non aliàs constitui, nisi ventum fuerit in possessionem: cuius ratio est; quia possessio regulariter non acquiritur, nisi animo, & corpore. *l. 1. & 3. ff. de acquir. possess. nec Jus reale constituitur, vel acquiritur, sine reali traditione. l. 20. C. de pign. Abb. hic num. 3.*

CIII. Assertio 3. Executio sententiæ fieri debet primò in bonis mobilibus; quibus deficientibus, deveniendum est ad immobilia; ac tandem ad Jus, sive nomina, id est, ad ea, quæ debentur Reo condemnato, modò sint debita liquida, & confessã; prout habetur in *l. à D. Pio; 15. §. In venditione. ff. de re judic.*

§. IV.

An is, cui commissã est executio, possit admittere exceptiones oppositas contra executionem sententiæ, & de iis cognoscere?

CIV. Præmittendum, quòd Judex differat à Executore: nam Judex datur principaliter ad cognoscendum, & sententiam ferendam; accessorie vero & consequenter ad exequendum: Executor autem principaliter datur ad exequendum, quamvis intermedium accessorie cognoscere debeat, ut mox dicitur.

Est autem duplex Executor, unus merus, alius mixtus; ut tradit *Gl. communiter recepta in c. Pastoralis*; 28. §. Quia verò *V. Esi sciat de offic. iud. deleg. & Durand. in spec. lib. 2. part. 3. tit. de execut. sent. §. 2. n. 5.* Merus executor dicitur, cui nulla cognitio, sed sola executio causæ jam plenè cognita, & decisa committitur. Mixtus executor dicitur, cui non mera executio, sed etiam cognitio de faciendâ executione committitur; ut ex dicendis patebit.

CV. Assertio prima. Executor mixtus eas exceptiones admittere, & de iis cognoscere, & pronunciat potest, quæ tendunt, non ad oppugnandam sententiam, eamque iniustitiæ arguendam, sed solum ad impediendam, aut retardandam executionem; ut docet *Barol. in l. à D. Pio; 15. n. 8. ff. De re iudic.* Ut, si deputatus sit ad exequendam solutionem imperatam, & Reus conventus opponat, per compensationem, vel alio modo jam satisfactum esse debito, iuxta *l. Si se; 4. §. Solvissè. ff. eod. de eo cognoscere poterit.* Item, si dicatur, factam esse novationem, id est, novam conventionem super sententia condemnationis. *cit. l. 4. §. Si ex conventione;* vel aliud quidpiam accidentarium proponatur, de eo similiter cognoscere potest talis executor; ut intelligat, an exequi debeat. At verò de exceptionibus, quæ respiciunt merita causæ, sive quæ sunt de iustitia causæ, vel quæ directè impugnant ipsam sententiam; ut, si Reus condemnatus, contra quem executio faciendâ est, opponat, per falsos testes, vel instrumenta sententiam latam esse, potest quidem executor cognoscere summariè, ad hoc, ut intelligat, num talis exceptio frivola, & solum ad retardandam, & impediendam executionem opposita sit; ideòque rejici debeat: an verò ratione vera, vel saltem verisimili, ac probabili nixa sit: tunc enim executione, & cognitione super causâ principali superfedere, & illam ad superiorem, sive ad Iudicem ordinarium, qui illam commisit, remittere debet, non autem ipsemet quæstionem definire potest; ut colligitur ex *l. Si Prætor; 75. in princ. & §. Marcellus. ff. De iudic.* Ratio est; quia alioquin Iudex inferior, cui scilicet commissa est executio, sententiam superioris posset rescindere, quod est absurdum. *Barr. c. l. n. 9. Abb. c. l. n. 3. 4. & 9. Gail. lib. 1. obs. 113. n. 8.*

CVI. Idque probatur etiam ex *c. De cetera;* §. h. r. ubi decernitur: Si Pontifex sententiam definitivam à se latam in aliqua causâ alicui commisit executioni mandandam, & excipiatur contra illam, quòd fraude interveniente lata fuerit, hoc casu, executor non potest de toto negotio cognoscere, sed quæstionem, quæ incidit (circa negotium principale, quòd sententia per fraudem, vel dolum lata sit, vel aliàs circa illud fraudem intervenisse, dicatur. *Gl. hic in casu, & V. Fraus. Hostiens. V. eod.)* ad Sedem Apostolicam deferre debet. Ratio est; quia executor non debet sibi assumere partes Iudicis, cum non habet jurisdictionem. *Abb. hic n. 3.* Est autem in *cit. c.* sermo non de mero executeore, qui nudum ministerium habet exequendi, sed de mixto, cui hoc ipso cognitio aliqua commissa censetur, non quidem ad hoc, ut pronunciet super quæstione principali, sed, ut intelligat, an ob exceptiones, quæ opponuntur contra sententiæ executionem, & coram Iudice committente propositæ, & examina-

tæ non fuerunt, causam ad superiorem remittere debeat; ut ipse eam plenè cognoscat, & definitivè pronunciet, ac decidat. *Abb. hic in princ. & n. 3.*

CVII. Porro extenditur tradita doctrina, quòd executor mixtus cognoscere etiam possit de aliis exceptionibus, quæ post latam sententiam opponi possunt, ut docet *Felin. in cit. c. De cetero; n. 3.* sed non nisi ad eum finem, ut appareat, num executione superfedere debeat, donec is, qui commisit, plenius de iis cognoscat: sive id fiat ob naturam exceptionis, quæ semper opponi potest, videlicet nullitatis, falsitatis instrumentorum, aut testium &c. sive ob qualitatem causæ v. g. matrimonialis, quæ non transit in rem iudicatam: sive ob privilegium personæ, v. g. militis, cui, si exceptiones peremptorias ante latam sententiam non opponat, ob ignorantiam juris, subvenitur; ut etiam postea eas opponere possit. *l. 1. C. De iur. & fact. ignor.* Aliud verò dicendum est, si alicui executio commissa sit, v. g. Iudici ordinario, ob defectum jurisdictionis, seu potestatis; quia is, qui sententiam tulit, v. g. delegatus ab inferiore, vel arbitrio, eam exequi non potest, iuxta *l. à D. Pio; 15. in princ. ff. De re iudic.* Nam hoc casu pro executione recutendum est ad Iudicem superiorem, qui majore jurisdictione sit præditus, videlicet ad ordinarium, vel delegantem: nam talis executor non solum cognoscere de exceptionibus, sed etiam ipsam causam principalem definire potest, ita, ut etiam super nullitate prioris sententiæ pronunciare, vel per modum restitutionis in integrum de retractatione sententiæ cognoscere queat. *Arg. c. Cum ab Ecclesiis; 3. de offic. iudic. ordin. & tradit Abb. in cit. c. De cetero. n. 4. & Alex. de Nevo ibid. n. 8.*

CVIII. Assertio secunda. Merus executor, cui nulla omnino cognitio causæ competit, sed exequendi tantum necessitas incumbit, nullas exceptiones admittere potest, neque de iis cognoscere. *l. Sicut proponis; 6. l. Executorem; 8. C. De exec. rei iudic. & docet Gl. communiter recepta in cit. c. De cetero. V. Fraus. h. tit. Felin. ibid. num. 4. & Bart. in cit. l. à D. Pio. num. 10. ff. De re iudic.* Ratio est; quia plena cognitio causæ super ipsa quoque executione faciendâ præmissa fuit; ideòque nuda executio facti commissa videtur; ut in commissione, quæ fit ministro, vel nuncio. Idque procedit, ut, tamen executor sententiam à Iudice latam iniustam esse, sciat, exequi tamen eam debeat, postquam ea in rem iudicatam transit, ita, ut jus inter partes ortum sit; ut constat ex *cit. c. Pastoralis*; §. Quia verò de offic. deleg. *Abb. in cit. c. De cetero. n. 4. in fin. h. t.* Ratio est; quia ad talem executorem non spectat discernere, iustè, an iniustè iudicatum sit; cum non cognitio, sed mera executio ei demandata sit, & nudum ministerium.

CIX. Excipi debet; si sententia iniustè lata sit in causâ criminali, in quibus agitur de occisione, vel mutilatione hominis innocentis; tunc executor v. g. Minister Iudicis, sive carnifex exequi non potest, si sciat Reum re ipsâ innocentem, & ex falsis allegationibus condemnatum esse; quia executio talis sententiæ esset intrinsecè mala; ideòque nullâ ratione fieri potest. *Innocent. in cit. c. Pastoralis; n. 7. in fine. Abb. in cit. c. De cetero; n. 5. Laym. lib. 3. tract. 6. c. 2. n. 8. circa finem,* quamvis aliqui nullum discrimen agnoscant inter causam civilem, & criminalem; ut notavit *Laym. in cit. c. Pastoralis. §. Quia verò; n. 7.*

Excipiendum secundò. Si certò constat, sententiam latam in causa civili, non tantum injustam esse, sed etiam indubitate nullam, seu irritam; quia lata est contra jura manifesta, vel nullo juris ordine observato; tum ea executioni mandari non debet, cum sententia nulla non sit sententia, nec transierit in rem judicatam, juxta *l. Si se 3. q. 4. §. Condemnatum. ff. De re judic.* ubi dicitur: Condemnatum accipere debemus cum, qui rite condemnatus est; ut sententia valeat, *Abb. in cit. c. Pastoralis. §. Quia verò; n. 4.* ubi ait, quòd Judici volenti exequi licitum sit tali casu resistere: & in *cit. c. De cetero; n. 5. h. t. Suar. dis. 3. de censur. sect. 15. n. 6.* idque colligitur ex *c. 2. de crim. falsi;* ubi laudatur is, qui sententiam auctoritate falsarum litterarum latam noluit executioni mandare; quia nimirum talis sententia nulla erat. Si verò sententia valida sit, quamvis injusta; quia contra jus partis litigantis, tum distinguendum est: Vel enim est tantum materialiter injusta; quia Judex secundum publica acta, & allegata judicavit; & tunc executor, etsi sciat sententiam re ipsa esse injustam, rectè, & licitè eam exequitur, si facile errorem demonstrare non possit, imò & debet, si superior id ei præcipiat, juxta ea, quæ tradit *Suar. c. l. n. 7.* ubi id declarat in sententia excommunicationis, si executori mandetur; ut eam denunciet, quam scit materialiter injustam esse; latam tamen secundum allegata, & probata. Ratio est; quia tam superior præcipiens, videlicet Judex, quam inferior, sive executor operantur, ut personæ publicæ; ideòque debent secundum scientiam publicam operari: cum ergo scientia veritatis, quam inferior habet, sit merè privata, non excusat, quòd minus obedire debeat in publico ministerio superiori præcipienti: imò etiam si ignoret, an sententia lata sit justa, secundum allegata, & probata, vel de hoc dubitet, potest, & debet eam exequi, si executionem commodè subterfugere non possit; quia in causa dubia superiori parendum est. *Arg. cit. c. Pastoralis; §. Quia verò;* ibi: *Quia non cognitio, sed executio tantum demandatur eidem;* adeòque non tenetur executor justitiam sententiæ juridicè inquirere, aut examinare: & consequenter, si non constat ei, esse illam injustam Juridicè, id est, secundum allegata, & probata, potest, & debet illam exequi. *Suar. c. l. n. 8.* Vel denique sententia lata est formaliter injusta; quia Judex, non secundum allegata, & probata, sed ex imperitia, aut dolo ita judicavit; & tunc non debet, nec potest executor, si hoc sciat, talem sententiam licitè exequi; ut docet *Suar. c. l. n. 9.* Ratio est; quia ideo solùm debet minister obedire Judici præcipienti executionem sententiæ, quamvis injusta, utpote quæ re ipsa est contra jus partis litigantis; quia talis sententia, vel cognoscitur, vel præsumitur esse justa secundum allegata, & probata: ergo, quando cognoscitur etiam secundum hanc rationem esse injusta, non potest ei obedire; quia tunc nullus est locus huic præsumptioni, si de contraria veritate constet. Accedit, quòd, cum talis sententia, & secundum privatam, & publicam scientiam, quæ ex probationibus, & processu desumitur, sit injusta, executor nullâ ratione posset excusari à cooperatione injustâ.

Contrarium tamen non improbabiler docet *Gl. in cit. c. Pastoralis. §. Quia verò. V. Et sciat. Abb.*

ibid. n. 5. & Laym. prope finem; videlicet quòd, si sententia sit formaliter injusta, deputatus ad exequendum, si onus impositum declinare non possit, neque etiam tanquam gravatus ad Superiorem facili appellare queat, tali casu exequi possit. Rationem hanc reddunt; quia veluti jure debitum est; ut sententia, postquam in rem judicatam transiit, executioni mandetur: condemnatus autem partim sibi imputare debet, quòd intra tempus jure concessum non appellavit: partim verò adhuc remedium habere agendi, scilicet contra Judicem ad rescandendam damnationem illarum; quia sententia Judicis, à qua non est appellatum, non ita transiit in rem judicatam, ut obligatio naturalis tollatur, juxta *l. Julianus. ff. De condit. indebit.* ubi dicitur, quòd, licet per sententiam Judicis absolutus sit debitor, non tamen faciat, quin natura debitor permaneat.

CX. Porò, etsi merus executor, sive is, qui, ut ministro, ac nuncio commissa est executio, si nulla præcessit causa cognitio, & contra executionem in partibus probabiliter coram ipso excipiat, et si perferere debeat: sicut etiam, si ei commissum sit, ut aliquem in possessionem mittat, non possit possessionem expellere, si quidem possessio non sit vacua, & possessor absens sit, vel præsens recedere nolit; quia ipse non est Judex, & sine causa cognitione non suâ possessione privandus est, *Arg. l. 2. c. Si per vos, vel alio modo &c.* tamen, si sententia lata sit, partibus præsentibus, contra possessorem, ut possessionem alteri tradat; tunc merus executor deputatus ad possessionem Actori tradendam, post elapsam decemdiem, potest exequi mandatum, etiam si possessor absens sit, vel resistat, eumque vi expellere; ut docet *Abb. in cit. c. De cetero. n. 6. & 7. & Alex. de Nova. h. d. c. 12. & 13.* & consentit etiam *Gl. in c. fin. §. Ceterum. V. Commissum; de offic. jud. deleg.* ubi ait, quòd meri executores constituti ad certos articulos expediendos, etsi nullam habeant jurisdictionem; ideòque vires suas alii committere non possint: habent tamen aliquam coercitionem, scilicet facti; ut impediant exercere ministerium sibi injunctum repellere possint: alioquin inanis, & inefficax esset talis commissio: imò & excommunicare eos possunt; quòd tamen non videtur verum, cum ad hoc jurisdictionis requiratur, quia merus executor caret, nisi specialiter hoc ei fuerit commissum.

§. V.

An tertius interveniens pro suo interesse possit impedire executionem sententiæ inter alios lata?

CXI. De hoc agitur in *c. Cum super; 17. h. d.* ubi talis casus proponitur: Inter Episcopum Auriensem, & Monasterium Cellæ novæ orta fuit controversia super subiectione ejusdem Monasterii, in qua causa plures sententiæ pro Episcopo latae fuerunt: per quas, cum tam Monasterium, quam Episcopus Ovetensis (qui, Monasterium sibi subiectum esse, assererat) se gravari existimarent, ad Sedem Apostolicam appellarunt, petentes, ut

sententia (ultima) pro Episcopo Auriensi lata executioni non mandaretur; sed quia ex parte Monasterii nihil rationabile fuit propositum, & probatum, cur sententia pro Episcopo lata retractari deberet; ideo Papa Innocentius III. eam in ordine ad Monasterium confirmandam esse, censuit. Si verò constiterit, appellationem pro Episcopo Ovitensi rationabiliter interpositam fuisse, & ad illam proseguendam nuncium, intra legitimum temporis terminum, fuisse destinatum, mandat idem Papa, executionem sententiæ differendam esse, ne dicta Ecclesia Ovetensis circa possessionem juris, quod præterit erga Monasterium, detrimentum patiatur: alioquin verò (sicut iustum est, & iustitia postulat) executioni mandandam esse, absque Ovetensis Ecclesiæ præiudicio, quandoquidem hæc non præiudicant isti Ecclesiæ, quò minus consequi possit, quod rationes eius probant, cum res inter alios acta regulariter aliis nocere non debeat, secundum Canonicas, & Civiles constitutiones.

CXII. Pro explicatione huius c. Notandum primò. Etsi contra principale Actorem in iudicio sententia lata sit, non tamen id obesse debet tertio, cuius interest, seu cui ex sententia præiudicium, aut damnum proveniret, licet illi iudicio non interfuerit; & ideo à lata sententia legitime appellat. l. à Sententia; §. ff. De appell. Imò, tamen si principalis Actor etiam appellavit, & in causa appellationis, sententiæ contra ipsum latæ, succubuit: non tamen debet ea executioni mandari, donec & illius causa, qui ob interesse suum appellavit, cognita sit, ac decisa, dummodo intra tempus legitimum, videlicet X. dies, appellatio facta sit; & appellans probet, suà interesse, & iustam causam se habere appellandi: nam, cum regulariter, & iure ordinario, non liceat appellare à sententiâ inter alios latâ. cit. l. à sententia; in princ. ideo, cum appellatio à tertio, cuius interest, facta sit ex iure speciali, contra Jus commune, & ordinarium, requiritur, ut ostendatur, & exprimat iusta causa, ob quam appellat. Abb. hic n. 5.

Notandum secundò. Si tertius, qui in iudicio ab initio non interfuit, cuius tamen interest, intra X. dies non appellavit, vel rationabilem causam appellandi ostendere non potuit; tum distinguendum est, utrum sciverit, an ignoravit, causam agi, & sententiam latam esse: si ignoravit, sententia executioni mandanda non est, neque præiudicabit tertio, si is in possessione rei, vel juris fuit; quia nemini possessio sua auferri debet, sine causæ cognitione; ut in casu cit. c. Cum super; h. r. ubi Episcopus Ovetensis erat in possessione subiectionis Monasterii Cellæ novæ, cui præiudicium factum esset, si ea possessio ei auferretur, & Monachi, qui hæcenus obedientiam, & fidelitatem ipsi præstiterunt, Auriensi Episcopo præstare iuberentur. Arg. c. Veniens; 38. junct. Gl. V. Utraque pars; de testib. §. l. 2. C. Si per vim alio modo §. c. lo Andr. in cit. c. Cum super; n. 10. Imol. ibid. n. 6. Vers. Item adverte; quia ob ignorantiam, etiam si non appellavit à sententia, quam ignoravit, latam esse, potest impedire eius executionem. Si verò tertius ille scivit, sententiam esse latam, & tacuit, vel intra tempus legitimum non appellavit; tunc executio sententiæ fieri debet; quia hoc casu præiudicium

ipsi fit, quoad iudicium possessorium, non item quoad petitorium, seu jus proprietatis, si illam ipsemet in iudicio deducere velit; prout aperte colligitur ex cit. c. Cum super; ubi dicitur, si constiterit, Episcopum Ovetensem, ob causam iustam, & intra tempus legitimum, appellasse, executionem sententiæ differendam esse, ne Ecclesia ipsius circa possessionem detrimentum incurrat: alioquin verò, si nimirum intra tempus legitimum appellatum non sit, sententiam executioni mandandam esse, absque præiudicio tamen Ecclesiæ Ovetensis, quò minus ipsa suas rationes, & jura postea proponere, & consequi possit; prout explicat hoc c. Gl. ibid. §. Non nocet. Ioan. Andr. n. 11. & Imol. n. 2. & 6. & alii, quamvis contrarium teneat Abb. ibid. n. 17. videlicet, quòd, etsi tertius sciverit, causam agi, neque appellavit, id ipsi nec quoad possessionem præiudicare debeat; ideoque executionem sententiæ tali casu differendam esse. Ratio autem, cur in tali causa subiectionis executio sententiæ fiat, cum præiudicio possessionis, est; quia sibi imputare debet possessor, quòd sciens permiserit causam agi, sententiam ferri, & in rem iudicatam transire: præterquam, quòd ipsi indirectè tantum, & per consequentiam auferatur possessio; quia Ecclesia duobus Ordinariis simul subiecta esse non potest: ac proinde, dum uni obedire cogitur, ab alterius obedientia quodammodo subtrahitur, & eximitur.

CXIII. Notandum tertio. Ab eadem sententia potest appellare, non tantum Reus, qui succubuit in causa, sed etiam tertius, cuius interest, & poterit sententia lata contra Reum, si nihil de iure suo doceat, confirmari: quoad tertium verò, si rationabiliter appellavit, infirmari. Abb. hic in summa; & alii Canonistæ communiter, & patet ex cit. c. Cum super; ubi sententia lata pro Episcopo Auriensi, à qua erat appellatum, confirmata fuit: quoad tertium verò, qui legitime appellavit, & docuit, suà interesse, fuit infirmata, vel saltem suspensa eius executio, non obstante re iudicatâ; quia res inter aliquos acta regulariter aliis obesse non debet.

Notandum quarto. Quamvis, si sententia lata sit inter partes, tertius, cuius interest, possit appellando impedire, ne sententia lata contra Reum mandetur executioni, cum suo præiudicio: debet tamen, antequam admittatur ad iudicium, probare, saltem summarie, suà interesse; idque procedit secundum Innocent. in c. Veniens; 38. n. 1. de testib. si res à nemine possideatur: v. g. beneficium, de quo litigatur, vacans sit. At, si res possessa fuisset ab uno, quæ alteri restitui deberet; tunc executio sententiæ facienda esset, præstitâ prius cautione indemnitate illi, qui suà interesse ostendit; idque ordinariè verum est: non autem, si ille tertius hoc ipsum, suà interesse, summarie probaverit, ne possessio ad alium potentiore transferatur, à quo postea difficilius recuperari queat. Arg. c. Pisanis; 19. de restit. spoliat. Abb. in cit. c. Veniens; num. 6.



§. VI.

An is, contra quem in aliqua causa tres sententia conformes sunt latae, admitti debeat ad agendum de nullitate ipsarum, vel alicuius ex illis, vel ad excipiendum, antequam huiusmodi sententia plenè fuerint executioni mandata?

CXIV. Ad hanc quaestionem respondetur negativè; ut constat ex *Clement. Ut calumniis*; *1. h. t.* ubi ita statuitur: Ut calumniis litigantium occurratur, is, qui in beneficiali, vel quavis alià causâ (spirituali, vel quasi, civili, criminali, vel mixtâ. *Gl. hic V. Quavis*) tres contra se sententias in petitorio, vel possessorio Iudicio reportavit, ad agendum de nullitate ipsarum, vel alicuius ex eis, nullâ ratione admittatur, donec huiusmodi sententia plenè fuerint executioni mandata. Similiter, si ille, contra quem tres sententia definitivè latae fuerint ab interlocutoria, vel gravamine, ante prolationem ipsarum, vel alicuius earum, proponat, se appellasse, & causam huiusmodi appellationis adhuc pendere, non potest prædictarum sententiarum executionem tali prætextu impedire. Et hæc ad causas etiam per appellationem pendentes sunt extendenda. Ratio decisionis est; ut occurratur calumniis litigantium; ut dicitur in princ. huius c. quia, cum illi, contra quos tres sententia conformes sunt latae, non possint tertio appellare, sæpe dicerent, sententias latas nullas esse; ut lites protraherent in infinitum, & impedirent earum executionem, & sic per viam nullitatis obtinerent, quod non possent per viam appellationis. *Vivian. in Rat. Jur. Pont. hic.*

CXV. Pro explicatione huius constitutionis. Notandum primò, quòd ea locum habeat, etiam in causa criminali, ita, ut executio fieri debeat, antequam agatur de nullitate sententiarum, quod intelligi debet de tali causa criminali, cuius executio postea retractari potest: ut, si Reus condemnatus sit ad pecuniam pecuniariam: tunc enim prius debet discuti, & agi de nullitate sententiarum: secus, si non possit postmodum retractari executio: tunc enim prius agi debet de nullitate, quam fiat executio, aliàs frustra postea ageretur de illa, ut notat *Abb. hic n. 1.*

Notandum secundò. Qui tres sententias conformes contra se reportavit, etsi non possit agere de illarum nullitate, nec excipere, ante factam ipsarum executionem; eà tamen factâ, non prohibetur victus, seu condemnatus objicere, & probare nullitatem sententia, quâ probatâ, sententia illa pronuncietur nulla, & executio revocabitur. *Gl. hic V. Donec*; & *Abb. n. 5.* Requiritur autem ad hoc, ut condemnatus agere, vel excipere possit de nullitate sententiarum, vel alicuius ex illis, ut executio plenè sit facta: alioqui enim, si vel in minimâ parte eius, quod pronunciatum fuit, non sit facta executio, im-

peditur condemnatus agere de nullitate sententia, vel excipere. *Gl. hic V. Plenariè*; ut, si v. g. non sit soluta expensa litis, ad quas Reus fuit condemnatus. *Abb. hic n. 6.*

Notandum tertio. Hæc Constitutio non habet locum, nisi tres sententia conformes latae fuerint per eodem articulo, non autem, si super diversis articulis; quia tunc cessat ratio dispositionis, quæ est præsumptio calumniae, in qua illa fundatur. *Gl. hic V. Tres*; & *Abb. n. 2.* Quòd autem insuper *Gl. requirit*, ut tres illæ sententia successivè sint latae contra aliquem, id ex textu probari non potest, in quo de hoc nulla fit mentio; adeoque sufficit, quòd tres sententia sint latae contra aliquem in eadem causa, quamvis una, intermedio tempore, fuerit lata pro victo, seu condemnato; ut locus sit huic constitutioni; idque ob præsumptam calumnia. *Abb. hic n. 2.* & *n. 7. Covarr. præf. qq. c. 2 §. n. 3. Quæritur.*

CXVI. Notandum quartò. Dispositio huius *Clement.* habet locum, etiam si tres sententia interlocutoria solùm sint latae contra Reum; quia in præter parte est sermo de eo, qui tres sententias simpliciter contra se reportavit, nec additur definitivè, sed ut in posteriore parte huius *Clem. Gl. hic V. Sententia*; & *Abb. n. 3.* Quare etiam tres sententia interlocutoria, si conformes fuerint, traduntur executioni, non obstante nullitatis exceptione, quamvis aliter regulariter appellatione sententia intelligatur definitivè, non interlocutoria. *Covarr. c. l. §. Quæritur.*

Notandum quintò. Potest tertius interveniens pro suo interesse opponere exceptionem nullitatis sententia, & impedire executionem trium sententiarum conformium. *Gabriel commun. cont. lib. 2. c. 1. n. 4. exec. sent. concl. 1. n. 19. Covarr. præf. qq. c. 1 §. n. 4.* ubi tamen id limitat: nisi tertia sententia noceat tertio, ita, ut ab ea appellare nequeat; quia de parte non nisi bis, & non tertio appellare licet: tunc enim neque à tertio poterit impediri executio huius sententia, propter objectionem nullitatis; ut colligitur ex *cit. Clem. 1. h. t.* si verò tertius appellare possit à sententia, quæ illi nocet, sed illud intermedium, vel neglexit, tum poterit per exceptionem nullitatis impedire executionem sententia. *Covarr. c. l. Alia limitationes videri possunt apud eundem cit. c. 2 §. 1. Barb. in Collect. in cit. Clem. 1. n. 43. & tribus seqq.*

Notandum sextò. Illæ sententia dicuntur conformes, quarum una confirmat aliam, quamvis non sit necesse; ut expressè confirmet, sed satis est, quòd in substantia idem contineant, & non sint difforme, quoad substantiam, vel qualitatem principalem. *Clem. c. l. n. 33. & n. seq.* ubi addit, sufficere, si sint concordantes in effectu. *Barb. in cit. Clem. n. 11. & 12.*

Notandum septimò. Hæc constitutio extenditur etiam ad causas pendentes per appellationem, quæ ut habetur in fine huius *Clem.* idque propter communem, & publicum bonum, & præsumptionem fraudis, ob quòd Princeps potest extendere constitutionem etiam ad actus præteritos, & ante illam gestam nem etiam ad actus præteritos, & ante illam gestam. *Vivian. hic*; quare, etiam si lis per appellationem pendeat, non impeditur executio sententia; si tamen postea à Iudice appellationis pronuncietur, non esse appellatum; quia sententia erat nulla: tunc executio sententia revocabitur. *Gl. in casu in fine.*

§. VII.

§. VII.

Qua sit pœna Iudicis malè iudicantis?

CXVII. Assertio 1. Jure Civili, si Judex malè iudicavit, litem suam facit, hoc est, periculo litis se obstringit, & litem, ac damnum partis læsæ in se transfert, ita, ut contra ipsum agi possit actione in factum, ad litis æstimationem. *Hofstiens. in summ. Rubric. de re iudic. num. 5.* ubi tamen distinguendum est: nam, vel Judex per dolum malè, sive iniuste iudicavit, & datâ operâ, vel pecuniâ corruptus, aut gratiâ inductus; & tunc obligatur ex maleficio, sive delicto ad præstandam æstimationem litis in solidum, id est, quantum interest partis, iniuste contra ipsam iudicatum fuisse, & infamis efficitur. *l. Filiusfamilias 3 15. juncti. Glos. fin. ff. de iudic. l. 2. & ibi Glos. V. Estimationis. C. de pœna Iudicis, qui malè iudic. Et, si quidem dato, vel promisso aliquo se corrumpti, passus est, in causa civili, in triplum eius, quod accepit, vel in duplum eius, quod promissum est, reddit: in causa verò criminali, confiscatis omnibus bonis, in exilium mittendus est. *Auth. Novo Iure. C. Eodem.* Vel Judex per imprudentiam, aut imperitiam malè iudicavit, putans tamen, se rectè iudicare; & tunc non propriè ex delicto, sed ex quasi delicto obligatur, & ad litis æstimationem, seu damnum, & interesse parti læsæ præstandum condemnatur, non quidem in solidum, & absolute, sed in quantum religioni æquum videbitur, hoc est, prout consideratâ culpâ, ei visum fuerit, qui de ea re iudicabit. *Instit. de oblig. que ex quasi delicto princ. l. Siquis; 5. S. Si Iudex. ff. de oblig. & act. l. ult. ff. de var. & extraord. cognit. Bart. in cit. l. 2. num. 2. & 3. C. de pœna Iud. & c. Menoch. de arbit. iudic. casu 341. n. 2. & 3.**

Porro hæc actio in factum adversus Iudicem, qui dolo, vel ex imperitia malè iudicavit, ad præstandum damnum, & interesse parti læsæ competit, sive à sententia iniusta, vel iniqua intra tempus legitimum appellatum sit, sive non; imò, etiam si appellatiōi renunciatum sit; cum sententia iniqua quoad Iudicem nunquam transeat in rem iudicatam; sicut pluribus relatis tradit *Gail lib. 1. obs. 103. n. 2.*

CXVIII. Assertio 2. Præterea Jure Canonico in cap. Cum æterni; 1. h. t. in 6. præcipitur, ut Iudices Ecclesiastici caveant, & attendant, ut in causarum processibus (quibuscunque) nihil vendicet odium (privatum) vel favor usurper, timor exulet, præmium, aut expectatio præmij (per expressam, vel tacitam conventionem. *Ioan. Monach. hic num. 6.*) iustitiam non evertat (hæc enim quatuor humani solent pervertere iudicium. *c. Quatuor; 78. caus. 11. q. 3. Gl. hic V. Non evertat.*) sed iuste iudicent, & in omnibus, quæ in causis agenda fuerint, præsertim scribendis, & ferendis sententiis, DEUM præ oculis habeant (à quo, sicut iudicabunt, iudicabuntur; *Gl. hic V. DEUM; & l. Rem; 14. C. de iudic.*) exemplo Moysis *Exod. cap. 32.* Siquis autem Judex Ecclesiasticus, Ordinarius, vel delegatus, aliquid contra propriam conscientiam, & contra iustitiam, in

TITULUS II.

gravamen alterius patris (Actoris, vel Rei) in Iudicio egerit, & gratiâ, vel favore, vel per sordes, per annum ab officij executione sit suspensus, & ad æstimationem litis, parti, quam læsit, est condemnandus. Quòd si, durante suspensione, temere se Divinis (officiis) ingesserit, irregularitatem, secundùm Canonicas sanctiones, contrahet, à qua non nisi per S. Pontificem poterit liberari, salvis aliis Constitutionibus, quæ Iudicibus malè iudicantibus pœnas infligunt: dignum est enim, ut, qui in tot offendit (scilicet in DEUM, iustitiam, debitum officij, & contra proximum. *Gl. hic V. In tot*) pœnâ multiplici castigetur.

CXIX. Circa hanc Constitutionem Innocentij IV. in Concilio Lugdunensi editam Notandum primò. Qui per Iudicem iniuste condemnatus fuit, non censetur quoad DEUM condemnatus; ut colligitur ex cit. cap. 1. in princ. ubi dicitur: Cum æterni Iudicis tribunal illum non habeat Reum, quem Iudex (humanus) iniuste condemnat: non enim, qui accusatur, statim Reus est, id est, culpabilis, sed qui convincitur criminolosus. *Gl. hic V. Reum.* Ex quo inferitur, quòd iniusta sententia non ligat apud DEUM, ita, ut possit quis, salvâ conscientiâ, ei non parere. *Franc. hic n. 1.* ubi tamen addit, excipiendam esse sententiam censuræ, quæ sive iuste, sive iniuste promulgata sit, timenda est. *cap. 1. caus. 11. q. 3. cap. Inquisitioni; 44. de sent. excomm.*

Notandum secundò. Cum hæc Constitutio sit nova, & pœnalis; ideo strictè eam interpretari oportet, nec ultra propriam, ac juridicam verborum acceptionem eam extendere; ut notat *Gl. magna hic in notatis.* Quare nomine Iudicis Ecclesiastici hic non comprehenduntur Episcopi, cum Jure cautum sit in cap. Quia verò; de sent. excomm. in 6. quòd Episcopi nullam incurrant sententiam suspensionis, vel interdicti, nisi de ijs expressâ mentio fiat. *Gl. hic V. Ordinarius.* Sed neque Arbitri compromissarii hic comprehenduntur; quia non sunt Iudices Ordinarii, vel delegati, nisi sint Arbitri Juris, qui in locum Iudicium succedunt. *Glos. hic V. In Iudicio; & Ioan. Monach. n. 8. Franc. in cit. c. 1. §. Siquis autem; n. 4.* ubi tamen addit, id procedere in pœnalibus, & odiosis, non autem in aliis. Neque etiam hæc Constitutio locum habet in Auditore, vel mero executori, cum & hi non sint Iudices. *Glos. cit. loc. & Ioan. Monach. n. 9.* ac denique non ligat etiam Iudices seculares, cum nec pœna hic decreta, scilicet suspensionis, illos ligare possit. *Glos. hic V. Ecclesiastici*

Notandum tertio. Ad incurrendam pœnam huius Constitutionis plura requiruntur; ut colligitur ex cit. cap. 1. hoc tit. in 6. & tradit *ibid. Glos. in notatis.* Primò. Ut Judex contra suam conscientiam iudicet. Secundò. Ut contra iustitiam, seu iniuste iudicet: alioquin non incurreret hanc pœnam, etiam si contra conscientiam iudicaret. *Gl. hic V. Et contra.* Tertio. Ut Judex partem litigantem gravet: nam si gravet tabelionem, vel nuncium, vel similem personam in Iudicio interventientem, vel si iudicet die festo, sine gravamine partis litigantis, non incurritur hæc pœna. *Glos. magna hic; & V. In gravamen. Franc. hic num. 5.*

Quartò. Quòd in Iudicio gravet. Quintò. Quòd

Cccc

ad ita

ad ita iudicandum motus sit favore alterius partis, vel eiusdem timore, aut odio, vel per sordes, hoc est, largitione pecuniæ. Sextò. Quòd gravet partem faciendo, seu committendo: secus, si solum omittendo, vel negligendo: tunc enim non incurreret hanc pœnam; quia, cum ista constitutio sit pœnalis, non debet extendi. *Gl. magna hic.* & uno horum deficiente, cessat pœna: sed contrarium tenet *Ancharanus hic not. 5. & Franc. num. 5.* quoad ultimum requisitum, quòd pœnam incurreret Iudex, etiam si omitteret, vel negligeret facere, quod debet; quia omittens dicitur facere; quamvis plus delinquat quis committendo, quàm omittendo, & saltem Iudex omittens teneretur ad interesse partis, juxta *Gl. magn. hic in notatis.*

C X X. Notandum quartò. Si Iudex Ecclesiasticus suspendatur ab officio, intelligitur quidem suspensus ab officio simpliciter, hoc est, ab exercitio Ordinis, & Jurisdictionis, non autem à beneficio; quia pœnæ sunt restringendæ, & si Papa hoc voluisset, id expressisset. *Gl. in cit. cap. 1. V. Officii, & V. Divinis.* Quare, si ita suspensus, celebrando Officia Divina, hanc censuram violet, irregularitatem quoque incurrit: secus verò, si ab Officio solum iudicandi esset suspensus: tunc enim non prohibetur Officia Divina celebrare, neque, si munus iudicandi, à quo est suspensus, exerceat, irregularitatem contrahet, quamvis acta sint irrita; quia irregularitas tantum incurritur ab eo, qui violat talem censuram, ratione cuius à celebratione, vel exercitio alicuius Or-

dinis est prohibitus; ut constat ex *oro tit. de Chiro. excomm. aut suspens. ministr. & tradit. Suar. diff. 44. de censur. sec. 5. num. 1.*

Notandum quintò. Iudex, qui partem communitatem in Iudicio gravat, non scienter, & voluntariè, sed ex inconsideratione, vel ignorantia, credens se iuste iudicare, non incurrit hanc suspensionem per annum ab executione officii; ut colligitur ex *cit. cap. 1. h. 1. in 6. ibi: Contra conscientiam, per gratiam, per sordes: & ibi Gl. magna in notat. & ex l. Filiofamilias; 15. ff. de Iudiciis.* ubi in fine dicitur, dolo id fieri quod fit à Iudice, gratiâ, vel inimicitia, vel per sordes: Ratio est; quia tunc non agit contra conscientiam, nec formaliter contra iustitiam, sed solum materialiter; ideoque suspensionem non incurrit. *Suar. dif. 31. de censur. sec. 3. n. 16.*

Notandum sextò. Solus Papa potest absolvere ab irregularitate proveniente ex eo, quòd quis, durante suspensione, Divinis officiis se ingerit; ut patet ex *cit. cap. 1.* Neque tamen per hanc partem suspensionis, & irregularitatis tolluntur alie pœnæ tam legales, quàm Canonice, quæ Iudicibus in iudicantibus infliguntur, sed ex in suo vigore permanent. *cit. cap. 1. in fine.* Ex quo inferri *Franciscus in 5. Sciturus; num. 2. not. ult.* quòd si à lege non imponatur diversa pœna ab illa, quam antiqua lex infligerat, non videtur antiquam tollere, sed potius accumulare.

T I T V L V S XXVIII.

DE APPELLATIONIBUS, RECUSATIONIBVS, ET RELATIONIBVS.

Actum est titulo præcedente de Iudicis sententia, eiusque effectu, & executione: sed quia appellatio est remedium contra sententiam, per quod eius effectus suspenditur, ne transeat in rem iudicatam, & executio impeditur; ideo subiungitur hic Titulus de appellationibus. Et quia recusatio Iudicis, & relatio causæ ad Superiorem, in eo conveniunt cum appellatione, quòd per illas etiam suspenditur sententia Iudicis; ideo de illis quoque sub eadem rubrica agitur. Extat hic titulus de appellationibus etiam in Sexto, & Clementinis.

SECTIO I.

DE APPELLATIONIBUS in genere.

S. I.

Quid, & quotuplex sit appellatio, & cur sit inducta?

I.

ASSERTIO I. Appellatio communiter definitur, quòd sit à minore, seu inferiore, ratione gravaminis illati, vel inferendi, ad ma-

jorem, seu Superiorem, tanquam Iudicem, facta provocatio; prout videre est apud *Maran. de ord. p. 6. tit. de appellat. n. 1. & alios.* ubi provocatio patet loco generis; quia latius patet, quam appellatio, nam provocatio est omnis actus, per quem Iudicis officium, seu auxilium imploratur. Deinde dicitur minore, seu inferiore, eoque vel Iudice, vel alio comprehendatur etiam extrajudicialis appellatio, quæ fit ab aliis, quàm iudicatis; ut ab electione, spoliatione, & similibus actibus. *Gregor. Tit. partit. Iur. Canon. lib. 5. tit. 15. cap. 1. nam.* Additur: ratione gravaminis illati, vel inferendi; quia non solum ab illato, sed etiam inferendo appellari potest extrajudicialiter; ut patet per